usurpasset, placuit ad extremum per sacra, per crucem Christi, ostentare mundo adeptum decus: cœpitque adeò frequentiùs solito, cùm dies aliquis solemnis adesset, & Rex cum tota sua cohorte interesset, rem divinam ritu pontificali facere & adhibere administros ad inserviendum, tum Episcopos & Abbates, tum duces & comites, qui aquam manibus, qui mantilia darent: item nō contentus una cruce, qua utebatur, quòd Archiepiscopus esset Eboracensis, alteram præ se ferri voluit per duos Sacerdotes statura elegantes, & equis magnis insidentes, qui aperto capite, quocumque anni tempore incederent. Henrici IIX. & Francisci I. Galliæ regis congressum absque causa Guinis fieri procuravit, ut pontificalem suam auctoritatem Gallis quoque notam faceret, Gallum pecunia emungeret, & Carolum æmulatione quadam ad suam amicitiam auro redimendam extimularet. Edovardum Bucyngamiæ ducem falsis circumventum criminibus capite plecti curavit.

REGES, PRINCIPES.

☞ *Infra sub* κολακεία, *exempla eorum qui Regna ambitiosè obtinuerunt.*

De Ozia rege leproso, qui per suam superbiam corruit, scribitur, quòd homo fuerit terræ operibus incubans, & mulas superbiæ turres ædificarit in angulis, & lacus foderit. *Hier. l. 10. in Ezech. c. 32.*

Rex Persarum omnes existimabat servos, extra conjugem suam, in quam tamen potissimum esse jus debebat. *Plut.* ad Principem indoctum.

Alexandri Magni virtus & felicitas tribus insolentiæ gradibus exultavit evidentissimis. Fastidio enim Philippi, Jovem Hamnonem patrem ascivit: Tædio morum, & cultus Macedonici, vestem & institutam Persica assumpsit: Spreto mortali habitu, divinum caput æmulatus est. Nec fuit ei pudori, filium, civem, hominem dissimulare. *Val. Max. lib. 9. c. 5. & Plut. in ejus vita.*

Pyrrhus Epirotarum Rex, scientia quidem rei militaris, manu atque animo longè omnium suæ memoriæ regum habitus est primus, verùm quæ factis comparaverat, ea semper nova spe corrumpere: quòd siti illorum, quæ nondum habebat, nihil horum, quæ habebat, conservaret, ut rectè utere-
C tur. Unde comparat eum Antigonus aleatori, qui multa & secunda jacit, sed uti nescit jactu. *Plut. in Pyrrho.*

C. Jul. Cæsar non honores modò nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam, præfecturamque morum, insuper prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ, statuam inter reges, suggestum in orchestra; sed ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: sedem auream in curia, & pro tribunali thensam, & ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulachra juxta deos, pulvinar, flaminem, lupercos, appellationem mensis è suo nomine, ac nonnullos honores ad libidinem cepit, & dedit. Quum sacrificio Latinarum revertente eo inter immodicas ac novas populi acclamationes, quidam è turba statuæ ejus coronam lauream candida fascia prælligatam imposuisset, & Tribuni plebis Epidius Marullus, Cæseriusque Flavius coronæ fasciam detrahi, hominemque duci in vincula jussissent: dolens seu parùm prosperè motam regni mentionem, sive, ut ferebat, ereptam sibi gloriam recusandi, Tribunos graviter increpitos potestate privavit: neque ex eo infamiam affectati etiam regii nominis discutere vo-
D luit: quamquam & plebi regem se salutanti, Cæsarem se non regem esse responderit: & Lupercalibus, pro Rostris à Cos. Antonio admotum sæpiùs capiti suo diadema repulerit, atque in Capitolium Jovi opt. Max. miserit. Quin etiam varia fama pererebuit, migraturum Alexandriam vel Ilium, translatis simul opibus Imperii, exhaustaque Italia, delectibus & procuratione urbis amicis permissa. Proximo autem Senatu pererebuit fama, L. Cottam xv. virum sententiam dicturum, ut quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, nisi à rege, non posse vinci, Cæsar Rex appellaretur. Quæ causa conjuratis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset. *Svet,*

C. Caligula Romanorum Imp. in eam prolapsus est insolentiam, ut deorum vestimenta indueret, in quibus nunc bellicosam virginem, nunc mulierem repræsentabat. In sacrificiis deorum ornatu induebatur, in plateis serico & triumphali vestitu incedebat. *Xiphil.*

Nero pro Palatii gradibus Imperator consalutatus, lectica in castra, & inde raptim appellatis militibus in curiam delatus, ex immensis, quibus cumulabatur, honoribus, tantùm Patris patriæ nomen recusavit, propter ætatem. Erat illi æternitatis perpetuæque famæ cupido, sed inconsulta. Ideòque multis rebus ac locis vetere appellatione detracta, novam induxit ex suo nomine. Mensem quoque Aprilem Neroneum appellavit. Destinaverat & Romam Neropolim nuncupare. *Sveton.*

Herodes Judæorum rex, cùm honoris esset cupidissimus, incitabatur ad magnificentiam, sicubi spes esset aut in præsens laudis, aut in posterum memoriæ. Quare cum in alios erogaret plurimum pecuniæ, necesse erat eam à subditis malè quærere. Deinde sciens se ob eas injurias invisum subjectis, abutebatur suorum odio in suum commodum. Nam si quis illorum non per omnia servitutem toleraret, aut videretur velle dominationem ejus excutere, in tales impotenter sæviebat, non aliter quàm in hostes, nullo cognatorum aut amicorum discrimine, quòd solus vellet honorari ab omnibus. Quàm autem honoris cupidus fuerit, colligere licet ex his ipsis honoribus, quos ille Cæsari & Aggrippæ cæterisque ejus amicis exhibuit. Volebat enim exemplo esse suis, ut quemadmodum ipse præstantiores coleret, sic etiā coleretur ab omnibus. Sed Judæis per leges patrias non licebat statuis & templis demereri regis gratiam, & similibus adulationibus explere insanam cupiditatem gloriosi hominis. Atque hæc causa videtur, cur Herodes erga subditos & familiares & consiliorum participes iniquior, erga exteros & alienos tantò beneficentior fuerit. *Iosephus lib. 16. c. 9. Antiq.*

Julianus Apostata ad imperium mortuo Constantio evectus, legationibus remotissimarum gentium cultus, & nuncio victoriæ Aquilejensis elatus, supra hominis aspirare conditionem cœpit. Itaque qui primò omnibus facilem se præbuerat, paulò pòst Christianis acerbiorem esse instituit. Nam Constantinopoli Gentilium sacra renovari, ac patefieri templa præcepit, & Christum appellans, Galilæum ad contumeliam nominavit; & Christianis, ne Grammaticam, Rhetoricam, & humaniores litteras aut docerent, aut discerent, interdixit: nimirùm ne quæstum ex iis artibus facerent, quarum religionem respuerent, aut ne doctrinis Gentilium eruditi adversus eos aburerentur: qui verò à Christiana fide non recesserunt, eos & Palatio expulit, & militiæ munere spoliavit: ex quibus alii baltheum posue-
G runt, atque omnes cruciatus perferre, quàm à Christo deficere maluerunt (inter quos fuit Jovinianus, Valentinianus & Valens, qui post ipsum deinceps Imperium tenuerunt) alii propter imbecillitatem ad immolandum se receperunt. *Sigon. l. 6. Imp. Occid.*

Isaacius Angelus Imp. alternis diebus lavacris se reficiebat: pastillis & unguentis omnis generis delibutus, instar pavonis superbi se ostentabat.

Henricus Leo, Saxoniæ & Bavariæ dux, subacta jam Vandalia, & fœdere cum Danorum rege Valdemaro renovato (nam gratiam Imp. Friderici I. jamdudum promeruerat, magnis rebus in Italia cum illo & pro illo gestis) superbire cœpit, & in summo fortunæ fastigio nullū ruinæ incommodum suspicatus, subjectos intolerabili acerbitate vexabat, æquè civibus ac hostibus gravis. Ergo cùm Fridericum I. Imp. in quartam expeditionem Italicam, superioribus præclarè de illo meritis, sequi recusasset, contumaciæ causa proscriptus fuit. Inde facta est conjuratio magna omnium contra illum, anno MCLXIV. fueruntque inter conspiratores primi, Vvichmannus Magdeburgensis Archiepiscopus, H Hermannus Hildesemensis Pontifex, Ludovicus Landgravius Turingiæ, Albertus Marchio Brandeburgensis, Ottho marchio de Camburg, Albertus comes Palatinus de Sumeresberg, & Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus. Magnis odiis certatum, sic tamen ut ad extremum reversus ex Italia Fridericus pacem composuerit. *Crantz. l. 6. Saxonia, c. 20. & Saxo lib. 14.*

Carolus Burgundus princeps non ferendæ ambitionis, inani ostentatione verborum crebrò illud jactare dicebatur, Mediomatricibus atque Helvetiis, qui medii intercederent, bello subactis, unum se futurum Principem, qui ab Oceano Britannico ad Superum atque Inferum mare productis imperii finibus, Christianam remp. ab immani Turcarum tyrannide, exercitibus in Græciam & Macedoniam transportatis, vindicaret. *Brutus l. 6. hist. Flor.*

Franciscus I. Gallorum rex, pace cum Carolo V. Imp. facta, non diuturnam fore asserebat: Nam nec ille parem, inquiens, nec ego superiorem ferre possum. *Ægidius Corrozetus de dictis & factis mem.*

* Jun-

A * Jungit se illi comitem Bardas militum sub Basilio Imp. præfectus. Qui dum per decretum Imperatoris sibi ablatam non exiguam potestatis, qua antè præfulgebat, portionem cerneret; evestigio imperium ipsum ambit, militem & vires colligit. Mittit interea Stephanus Nicomediæ Antistité, suasurus, bello abstineat, imperatori suum regnum cedat, & cili pristina facultas: at is eum vix responso dignatus, dextroque pede protenso, quem coccinei coloris calceus, Imperii insigne, decorabat; Fieri inequit, ait, ut qui hunc semel in consperta multitudinis induit, eum temerè exuat. Quare vel me sua sponte Imperatorem agnoscant, vel invitis ipsis Imperium mihimet vendicabo. Ita fervebat animus cupiditate dominii, & implicitè dicebat, quod ille apud Persium olim:

Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui.
Cedren. in Basilio. Beyerl. in Apoph. Christ.

Alphonsus Rex Atag. ☞ *Quære Apoph. de Adversitate.*

* Veniam nunc ad aliud sæculi nostri, imò etiam soli, priore crudelius. Illo enim in Principem, hoc in patrem sævitum. Adolphus Egmodanus, dum patris sui Arnoldi Geldriæ ducis & dynastæ diuturnum imperium molestiùs ferret,
B per factiones quosdam in suas partes trahit, patrique palàm bellum facit. Cumque re sopita, per Carolum Audacem pro sententia diceretur, Arnoldus pater solùm titulo Geldriæ ducis utatur, at filio oppida urbesque ac arces cedat, Gravia dumtaxat sibi exempta: accipiat quoque in alimoniam de manu filii tria quotannis aureorum millia; arroganti ac effrenato vultu voceque Adolphus: Quid malum! Pater alibi imperet, qui totos quadraginta annos omnibus præfuit. Æquum est, ad nos recurrant regnandi vices: nec aliud admisero, quàm de annua pensione; sic ut pater Geldria tota excedat, nunquam in eam pedem relaturus; aliàs malim præcipitem dare parentem in puteum, & me superinjicere, quàm ut in has conditiones paciscar. En responsum, non tam impium (quale & tunc omnibus visum) quàm insanum. *Refert I. Lipf. Monit. Pol. l. 2. c. 5.*

* Claudam hoc agmen jocoso exemplo, ut vel eo etiam liquidò constet, quàm impia & irreligiosa sit Ambitio. Chan Tartarorum (eorum Princeps ita dicitur) cum nuper Stephanus Poloniæ objisset, in comitiis de Rege creando ipse quoque per Legatos intervenit, dixitque, Potentem se esse,
C & posse miliades equitum educere è suis terris Poloniæ tuendæ vel augendæ. Frugalem se ac fine ullis deliciis, sola equina in fame contentum. Et quod ad religionem attinet: Tuus, s inquiebat, meus Pontifex esto: tuus Lutherus, meus esto. Ecce hominem paratum omnia sacra deosque deserere regnandi causa. *Ex eodem ibid. n. 11. recenset L. Beyerl. in Apoph. Christian.*

* Matthia Cæsare nuper mortuo, die nempè 20. Martii anni 1619. Bohemi rebelles Ferdinandum legitimum suum Regem, juratum ac coronatum, per summam injuriam paulò pòst abdicarunt. Abdicationis causa à jure electionis liberæ, quam sibi competere factiosi aliquot comminiscebantur, petita. Regem itaque novum quærebant, & coronam Regni Joanni Georgio Electori Saxoniæ, & deindè Maximiliano Bavariæ Duci detulerunt. Sed ab his repulsam passi, Fridericum V. comitem Palatinum Rheni, religione Calvinistam, generum Jacobi VI. Regis Angliæ, juvenem adhuc rerum inexpertum, & altos spiritus gerentem, instigatum tamen priùs cùm ab uxore, tum ab aliis Protestantibus, duce Bullonio factionis Hugonottorum in Gallia Principe, die 27.
D Aug. anno eodem 1619. Pragæ in Regem elegerunt, & die 4. Novemb. ejusdem coronarunt. Mox ad arma deventum: conjunxerunt vires suas Protestantes, ab aliis suæ factionis & sectæ adjuti. Ferdinandus etiam, una cum Saxone & Bavaro, qui in fide Cæsari & Imperio debita perstabant, fretus presidio & ære Philippi Hispan. Regis: consilio & milite quem Albert. Belgarum Princeps, cum Carolo Longevallio Bucojo Comite miserat: aliisque copiis, quas cum Sigismund. Poloniæ Rex, tum Cosmus Dux Etruriæ: denique pecuniis quas Paulus V. Pontif. opportunè suppeditarat, omni conatu in perfidos movit. Bocojus Austriam ad obedientiam Cæsaris perduxit. Saxo Lusatiam, Bavarus Bohemiæ fines est depopulatus. Interea Ambrosius Spinola Sanzeveranus Princeps, numeroso exercitu Palatinatum invasit, magnaque illius parte expugnata, universam eam Provinciam ad militaria tributa adegit. Mense Octob. Bavarus & Bucojus copias junxerunt, & expugnatis munitissimis oppidis, & arcibus Bohemiæ, versus Pragam progressi die 8. Novemb. quæ erat Dominica XXII. post Pentecosten, qua Romana Ecclesia legit Euangelium ex *c. 22. Matth.* quo ju-

E tulerunt: fugatoque illorum exercitu, ac cæsis supra quinque millibus, ipsoque Palatino in turpem fugam acto, Pragam in potestatem redegerunt. Et ita qui ambitiosè Romanum Imperium devorarat, ambitionis præmium obtinuit: quando instar corniculæ Æsopicæ, tam plumis quas aliundè fuerat suffuratus, quàm propriis, spoliatus, egregium perfidiæ exemplum, & ambitiosæ fortunæ ludus existit. Nam mox hostis imperii denuntiatus, bonorum etiam publicationem incurrit: & Electoratus dignitate excidit, quæ in Bavarum translata est, & ita quod de Sejano scripsit *Inven. Sat. 10.*

——Qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, undè altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.

POLITICI.

Cùm Athenæ Pisistratidarum tyrannide liberatæ essent, in republ. duo viri præpollebant, Clisthenes Alcmæonides, F & Isagoras Tisandri F. Hi per factiones de potentatu contendebant. Clisthenes, cùm vinceretur, populum amplectendo, ex quatuor tribubus mox decem effecit, cognominibus Jovis filiorum, Peleontis, & Ægicoris, & Argadei, & Hopletis: in alia commutatis quæ ipse invenit, aliorum heroum indigenarum, præter quàm Ajacis: quem etsi hospitem, tamen adjecit, utpotè finitimum ac socium. *Herodot. lib. 5.*

Themistocles ab initio statim graves sustinuit cum potentibus in rep. & principibus inimicitias: præ cæteris cum Aristide Lysimachi, qui semper ab eo dissentiebat. Amavit uterque, ut Ariston Philosophus scriptum reliquit, formosum Stesilaum, Cea oriundum. Hinc fuit perpetuum inter eos & de republica dissidium. Veruntamen vitæ & morum videtur dissimilitudo eam exaggerasse distractionem. Nam Aristides cùm mansueto ingenio & probis esset moribus, neque in rep. gerenda quidquam gratiæ populi daret, vel gloriæ serviret suæ, sed omnia ad honestatem cum securitate & justitia conjunctam dirigeret: non poterat facere, quin incitanti ad multa populum, ingentesque res novanti Themistocli, quò G incrementum ejus reprimeret, subindè repugnaret. Tandem cùm opes ejus assurgerent, & esset populo gratus, Aristidem invidia ei conflata & factione sua oppressit, atque in exilium decennale exegit. *Plut. in Themist.*

Pericles cum Cimone simultates gerebat, Reipub. causa: cùm hic optimatibus, ille populo faveret. Tandem ostracismo Cimonem urbe ejecit, eundem posteà scripto plebiscito vel in populi gratiam revocavit: vel certè postquam occulta pactio inter eos, Cimonis sorore interprete Elpinice, intercessisset, ut classe Cimon ducentarum navium accepta, foris præesset exercitui, & provincias Regis devastaret, Pericles imperium domi haberet. Mortuo Cimone, optimates, quanquam sentirent, jamdudum validissimas in civitate evasisse opes Periclis: volebant cum eo aliquem tamen in civitate comparatum, qui potentiam ejus, ne planè erumperet in tyrannidem, retunderet. Itaque adversarium ei objecerunt affinem Cimonis, moderatum virum, Alopecensem Thucydidem. Qui cùm minùs bellicis laudibus esset quàm Cimon celebris, sed fori artiumque peritus civilium, urbem colens, atque in concionibus cum Pericle de- H certans, brevi remp. ad æquilibrium reduxit: Neque enim eos, qui optimates vocabantur, immisceri & confundi permisit, ut antè, cum plebe, ubi multitudine offuscabatur dignitas eorum: sed secrevit eos, contractisque in unum omnium opibus, quæ hac ratione factæ sunt valentiores, fecit tanquam in lance momentum. Ac horum virorum contentio & ambitio, ingenti divisit civitatem fissura, effecitque, ut hæc pars Populares, altera appellaretur Pauci. Postremò de decennali exilio cum Thucydide contracto certamine depugnans, illum exterminavit, factionemque dissolvit adversam. *Plut. in Pericle.*

Nicias Nicerati, & Cleon in Rep. Atheniensium æmuli: hic quidem homo sceleratus & audax, ille verò optimus civis. Pericles quidem, qui solida virtute & vi dicendi civitatē gubernabat, nullo fuco ad multitudinem opus habebat, nec gratia artificio colligenda. Quibus Nicias cùm deficeretur, præcelleret autem opibus, his deliniebat plebem. Quia verò erat ad Cleonem, qui lenitate & scurrilitate populum Atheniensem mulcebat, similibus æquandum artibus ineptus: oblectabat choragiis, gymnasiarchiis, muneribusque P hujusce-

A hujuscemodi aliis populum, splendore antecedens & munificentia, qua prioris, qua suæ memoriæ omnes. Jam verò ubi mortuo Pericle Alcibiades, Niciæ studiis pacis & gloriæ invidens, ad bellum Syracusanum populum accendit, non modò à tam perniciosa expeditione Athenienses revocare potuit Nicias, verùm etiam à populo collega datus est Alcibiadi & Lamacho, qui illorum præcipitantiam sua maturitate moderaretur. Exitus ipse tandem declaravit, Niciæ consilium patriæ saluberrimum futurum fuisse, si ei paruissent. *Plut. in Nicia.*

Pii Homines.

Joannes Apostolus & reliqui Discipuli, cum vidissent quendam in nomine Jesu dæmonia ejicientem, qui tamen Christum non sequeretur: Jesum rogarunt, ut illum hoc facere prohiberet. At is, Qui adversus nos non est, inquit, pro nobis est. *Matth.18. Luc.9. Marci 9.*

D. Augustinus de studio honoris, apud Dominum *lib. 10. Confess. c.37.* his verbis conqueritur: Quid igitur tibi in hoc genere tentationis, Domine, confiteor? Quid? nisi delectaB ri me laudibus? Veruntamen nollem, ut vel augeret mihi gaudium cujuslibet boni mei suffragatio oris alieni. Sed auget, fateor, non solùm, sed & vituperatio minuit.

Hæretici.

Themison, assecla Maximillæ fuit. De ejus martyrio Apollonius in oratione contra Cataphrygas (*referente Eusebio lib.5. cap.*18.) in hunc modum scribit: Themison indubitata avaritia circumdatus, confessionis signum non gustavit, sed multa se pecunia vinculis exemit: cumque ipsi ob eam causam humiliter esset agendum, tamen quasi martyr gloriabundus, ad exemplum Apostoli catholicam quandam epistolam ausus est scribere, & eos instituere, qui meliùs quàm ipse credebant: & hortari, ut unà secum pro novis doctrinis decertarent, ac Dominum & Apostolos ejus & sanctam Ecclesiam blasphemarent.

Alexander, Priscillæ & Montani sectator, judicatus est Ephesi ab Æmilio Frontino proconsule, propter temerè perpetrata latrocinia, cùm jam esset prævaricator. Deindè C cùm falsò sibi nomen Domini prætexeret, seductis ejus lo- cis fidelibus, dimissus est. Parœcia verò ejus, undè erat, propterea ipsum, quòd latro erat, non recepit. Sed posteà se ipse martyrem esse dixit, & à multis est adoratus. *Euseb. l.5. cap.*18. *ex Apollonio.*

* Cæterùm cum omnium hæresum fons & origo sit superbia, omnibus hæreticis est familiaris ambitio: dum omnes se Prophetas & Doctores proprii Spiritus venditant, omni Ecclesiæ, aut veterum authoritate postposita. Ita de Calvino refert *Bolsecus*, quòd nonnunquam in hæc verba proruperit: Ego Propheta sum, ego spiritum Dei habeo: Ego si erro, tu Deus me in errorem inducis. *Bolsecus in vita.*

Neque meliora sunt, quæ de Luthero *Cocleus* narrat.

Cinædi.

Themison Cyprius, Antiochi Regis deliciæ, Hercules dici volebat, eoque nomine rem sibi divinam fieri patiebatur, aderatque ipse leonis pelle instratus, arcum item ferens Scythicum & clavam. *Cæl.lib.*11. *cap.*16. *A.L.*

Demonax ad Agathoclem Peripateticum, arroganter ja- D ctantem, sese & solum & primum esse dialecticorum: Si solus, inquit, es, qui primus esse potes? si primus, qui solus? *Erasm.lib.8. Apophr.*

Philosophi.

Heraclides Ponticus Athenæ juvenis concessit: ubi cum molliore vestitu uteretur, corpore obeso, ac ideò incessu tardo, pro Pontico Pompicus cognominabatur. Multa scripsit, multa etiam ab aliis furatus est, gloriæ avidissimus. *Laert.*

Colotes, quem Epicurus solebat blandè Colotaram & Colotarium appellare, emisit librum de sectæ Epicureæ præstantia, cui titulum fecit, Nec vivi quidem ex aliorum Philosophorum placitis posse: qui liber Regi Ptolemæo nuncupatus est. *Plut. contra Coloten.*

Rhetores.

Amphicrates Atheniensis rhetor exulasse dicitur Seleuciæ super Tigrim positæ. Rogantes autem cives, ut ludum ibi aperiret, rejecit, inquiens: Nec patinam delphini capacem esse. Cùm inde contulisset se ad Mythridatis filiam Tigrani nuptam, profectus calumniis, atque interdicta sibi Græcorum consuetudine, vitam inedia finivit. *Plut. in Lucullo.*

M. Tullius Cicero, cum Romæ multos adolescentes nobiles, quòd se contra disciplinam militatem gessissent, accu- E satos, egregiè defendisset: elatus eo, è Sicilia Romam contendens, in Campania incidit in quendam ex primoribus, quocum sibi existimabat intercedere gratiam: Quique sermo esset inter cives de rebus suis gestis, & quid sentirent? quæsivit. Respondente illo: Tu verò Cicero ubi hoc spatio fuisti? animo planè concidit, quòd mentio sui in urbem tanquam in vastum incidens pelagus, nihilo se ad gloriam reddidisset conspectiorem. Avebat enim supra modum celebrari, tenebatque eum perpetuò cupiditas immensæ gloriæ: quæ multa ejus præclara consilia frequenter interpellavit. *Plut. in Cicer.*

Plinius minor in epistola quadam Adolescentium quorundam ridiculam in agendis causis arrogantiam & ambitionem taxans, sic ait: At hercule antè memoriam meam (ita majores natu solent dicere) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente: tanta veneratione pulchertimum munus colebatur. Nunc refractis pudoris & reverentiæ clausstris, omnia patent omnibus: nec inducuntur, sed irrumpunt. Sequuntur auditores actoribus similes, conducti & redempti mancipes. Conveni- F tur à conductis & redemptis in media basilica, ubi tam palàm sportulæ quàm in triclinio dantur. Ex judicio in judicium pari mercede transitur. Inde jam non inurbanè σοφοκλεῖς ἀπὸ τῦ σοφὸς καὶ κλεῖδες, vocantur. Iisdem Latinum nomen impositum est, Laudiceni. Hactenùs *Plinius*. Utroque verbo notantur, qui facundi dici malebant & videri, quàm esse. Sophocles enim Græcè dicitur ἀπὸ τῦ σοφὸς & κλέος. At illi dedita opera perperàm interpretabantur, ἀπὸ τῦ σοφὸς καὶ κλεῖδες, id est, ab eo quòd sapientes vocarentur. In hoc igitur est allusio festiva ad poetæ tragici nomen: in Laudiceni vocabulo, ad gentis nomen alluditur. *Erasm.*

Athenienses Doctores, Constantini & Juliani Imp. ætate, hoc habebant, ut cùm ipsi inter se simultates exercerent, adolescentes adventantes navi per emissarios suos alliceren t, & ad se singuli pertraherent. Sic nauclerus in Proæresii rhetoris domum turbam peregrinorum maximam & in his Eunapium introduxit, quamvis in ipso portu ab aliis interpellatum: & Libanium Diophanti rhetoris auditores venati sunt, ne Proæresium accederet. *Eunapius in vita utriusque.*

Poetæ.

Calliphanes diversorum carminum & orationum initia conscribere solebat, ad tres aut quatuor versus, eaque pronunciare & ostentare: quo commentum ignorantibus, multiscius & eruditus videretur. *Athen. Dipnosoph. lib.*1. ait, cognomen fuisse Parabryconti. In proverbium certè abjit, pro homine ambitioso.

Q. Ennius, Homeri animam se habere jactabat. *Gyrald.*

Musici.

Cùm in Istmiis lex esset, ut neque comœdia certaret quispiam, neque tragœdia: Neroni placuit tragœdos superare. Ac prodierunt ad hoc certamen plures quidem: Epirota autem quidam, ut qui voce optimè valeret, & ob eam artem etiam celebraretur, & in admiratione esset, clarius solito fingebat & coronam amare se, & nihil de studio remittere velle, priùs quàm à Nerone decem talenta pro victoria acciperet. At ille exasperabatur, simul & infani more ferebatur: nam & auditus jam sub scena fuerat, in ipso videlicet H certamine. Acclamantibus autem Græcis, Epirotæ mittit scribam, qui juberet, hunc submittere sibi sese. Sed pergente eo, & supra modum attollente vocem, populariterque ac liberè cum ipso contendente, immittit Nero in pulpita suos histriones, tanquam qui ad hoc negotium pertinerent. Nam & libellos elephantinos & duplices habebant, quibus præ se intentis, veluti pugionibus utebantur. Atque hi Epirotam ad proximam columnam erigentes, guttur ipsius fregerunt, cædentes obversis in rectum libellis. *Lucianus in Nerone.*

Medici.

Menecrates medicus, cùm morbos quosdam desperatos sanasset, Jovem deorum summum seipsum appellavit. Ad Philippum Macedonum Regem scribens, tali usus est exordio: Philippo Menecrates Jupiter salutem. Ad ea respondens Philippus, sic ortus est: Philippus Menecrati sanitatem. Significans, hominem non esse sanæ mentis, qui se Deum fingeret. *Ælian. lib.*12. *de var. hist.*

Empe-

A Empedocles Philosophus Agrigentinus, cùm Panthiam Agrigentinum in gravi morbo curasset, atque ob id se penè pro numine coli animadverteret: immortalitatis atque famæ studio incensus, ut in numerum deorum translatus videretur, Ætnam insiluit, atque medios ipsius in ignes se conjecit. *Fulg. lib.*8. *c.*15. *& Alex. l.*6. *c.*4.

Jureconsulti.

Sigismundus Imp. in Basiliensi Concilio videns Georgium Fiscellum I.C. quem nuper equestris militiæ insignibus decorarat, in publico consessu animi dubium, legumne Doctoribus, an equitibus sese conjungeret, tandem ad equites discedere: Stultè hoc quidem, dixit: nam ego mille equites uno die fecerim, Doctorem unum in mille annis non fecerim. *Æneas Sylv. l.*4. *com. in res gestas Alfonsi.* Neque verò unum, sed multos ætate nostra Fiscellos reperias: qui postquam per literas emersere, ut nobilibus indoctis non modò æquentur, verùmetiam præferantur: summo tamen studio id agant, uti ne deinceps iis per quos inclaruere, titulis veris, sed emendicatis tantùm fictæ nobilitatis imagini- B bus, salutentur.

Alexander de Tartagnis, Imolensis, Patavii professus, collegam habuit Bartholomæum Cepollam Veronensem, & præcedendi causa acrem cum eo habuit contentionem: cùm, quamvis seniori, doctrina sua fretus, cedere nollet.

Mechanici.

Vt Coqui.

Coquorum nationem olim propter artis usum superbivisse, testimoniis comicorum intelligitur, qui hujuscemodi ipsos in fabulis inducunt. In primis autem garrulum vanumque finxit quendam ejus generis hominem Philemon in Milite, atque artem studiumque suum, supra quàm ferri posset, extollentem. Cùm enim multa jam, quæ eò pertinerent, dixisset, addidit impudentiæ plenam vocem, se rationem invenisse, qua homines nunquam extinguerentur, cùm mortuos jam odore epularum à se conditarum ad vitam revocare posset. Versus Philemonis hi sunt:

Ἀθανασίαν δρῶμεν τοὺς ἤδη νεκρούς,
Ὅταν ὀσφραντῶσιν, ποιῶ ζῶν πάλιν.

C Coquus etiam Plautinus in Pseudulo, & ipse non discrepans ab ingenio reliquorum, magnificè se jactans, atque artem suam celebrans, similem sententiam pronunciavit, cùm alios anteà præ se sprevisset, atque eorum studia irrisisset:

Nam vel ducenos annos poterunt vivere,
Meas qui esitabunt escas, quas ego condiero.

*Victorius lib.*20. *var. lect. c.*23. Leguntur quinetiam hi versus apud Menandrum in Dyscolo:

Οὐδεὶς μάγειρον ἀδυκόσας ἀδῶν διέφυγεν·
Ἱερουργεῖς ὑμῶν ἡ τέχνη.

Architecti.

Sostratus Gnidius, cùm Ptolemæo Regi turrem speculatorem in Pharo Ægypti ædificasset, undè nautis nocturna lumina ostenderentur, suum nomen in muri lapide incidit, calceque illita, Regis nomen superinduxit; fore auguratus, ut brevi post tempore, decidente lorica, insculptum nomen suum appareret. Hæc autem erat inscriptio: Sostratus Dexiphanis Gnidius, diis salutaribus ob navigantes. *Plin. Ælian.*

Accerserant Veneti, Sebastiani Ciani ducis auspicio, Ar- D chitectum ex Constantinopolitana urbe, ut auream D. Marci ædem ab ipsis fundamentis extrueret. Græcus id se præstiturum pollicitus est, ea tamen conditione, ut absoluto opere, ad æternam sui memoriam, paterentur in oculatissima templi parte statuam marmoream sibi poni. Quum jam præcipuam templi partem absolvisset, coram Patribus elabi sibi ex ore passus est, se multò celebriùs templum ipsum fuisse extructurum, nisi inter ipsum opus occurrissent plura, quæ illum prudentiorem fecissent. Tunc subridens Dux: At neque nos, inquit, omnia quæ de statua petieras, integra tibi dabimus. Quare illi in vestibuli fronte marmoream statuam collocarunt, manu ad os objecta, quasi illum dicti sui pœniteret. *Egnatius lib.*6. *c.*5.

Pueri.

Huc Indoles Ambitiosa.

Alexander Magnus, cùm adhuc puerulo in literario ludo victoria, quam pater Philippus pepererat, narraretur, suspirans dixit: Si pater omnia vicisset, nihil sibi superfuturum. Cui cùm astantes respondissent, ipsi hæc omnia parari: dixit, Parvi se ducere, quòd latè regnaret, quando parandæ gloriæ materia eriperetur. Jam in ea ætate orientales victo- E rias animo visus est concipere. *Plut. in ejus vita.*

Uladislaus, Hungariæ & Bohemiæ Rex, Annæ filiæ ob coronam regiam fratri Ludovico impositam flenti, eandem imposuit: non obscuro omine, Ludovico olim in regno Annam successuram. Cæso à Turcis ad Mohazium vicum Ludovico, ad Annam, Ferdinando Austrio nuptam, cum multis lacrymis regnum pervenit. *Dubravius l.*32.

Mulieres.

Consule Tit. Magistri Ambitionis, Vxores, Matres.

Semiramis virilem sexum mentita, amplissimos ductavit exercitus, multos & magnos adiit labores, periculaque immensa, præsertim Indico bello, gloriæ causa. *Sabell. lib.*5. *cap.*5.

Artemesia Cariæ Regina, Xerxis commilitium non respuit, gloriæ desiderio, neglecta sexus imbecillitate. *Idem.*

Fabia Licinio Stoloni plebejo nupta, invidia fororis fortunæ, quæ patritio Tribuno nupserat, patrem Fabium Ambustum impulit, ut de consulatu plebi communicando prima rogatio fuerit lata. *Sab. l.*2. *En.*4. F

Livia Tiberii mater, Augusti uxor, superbia omnes priores fœminas longo intervallo post se reliquit, quæ Senatum ac de populo, qui vellet domum ad se salutandam venire, admittebat, idque ipsum in publicos commentarios referri curabat. Quinetiam epistolis Tiberii nomen matris aliquandiù adscriptum fuit, literæque ad Tiberium datæ, Liviæ etiam inscribebantur: ac nisi quòd in concilium, ad exercitum, inque conciones venire non fuit ausa, cætera omnia, quasi ipsa imperium teneret, agere audebat. Etenim Augusto incolumi plurimùm potuerat, ipsaque se Tiberio Imperium dedisse ferebat: ideòque non æquata modò potestate cum eo regere, sed priores ipso genere volebat. *Dion. l.*77.

Habuit uxorem L. Verus Imp. Lucillam, filiam M. Antonini maximam natu, sororem Commodi. Quam pater, postquam L. fato functus est, manentibus adhuc Lucillæ principatus insignibus, Pompejano despondit, eidemque etiam Commodus pristinum reliquit honorem usurpandum. Nam & sella imperatoria sessitare in theatro, & ignem de more præferri patiebatur. Per hoc in odium Crispinæ conjugis Commodi venit. Eapropter & ipsa insidias fratri Commo- G do per Quadratum adulterum & Quintianum struxit, ab eo posteà occisa. *Lampridius, & Herodianus.*

Herodianus scribit, Mammeam matrem filio Alexandro in matrimonium puellam patricii generis dedisse, marito charam gratamque in primis. At cùm ipsa tantùm vocari Augusta vellet, eamque appellationem puellæ invideret: eò contumeliarum provecta est, ut puellæ pater, quamvis magnæ auctoritatis, ad Alexandrum generum, impatiens Mammeæ injuriarum, quas ipsi natæque inferebat, confugerit in castra, gratiam se habere Alexandro dictitans habiti sibi honoris, cæterùm Mammeam accusans, nihil non contumeliæ inferentem. Qua re indignata mulier, interfici eum jussit: puellam verò ædibus imperatoriis exactam, in Aphricam relegavit. *Cusp.*

Anna Cæsarissa Alexii Comneni Imp. F. Briennii mariti sui ignaviam, qua frater Joannes Comnenus Imp. insidias evitarat, pertæsa, iraque percita, iniquè secum agi dixisse, & naturam multùm accusasse fertur (idque verbis obscœnioribus) quòd se mulierem, Bryennium virum fecisset. *Nicetas Choniates de imperio Ioannis Comneni.* H

Mortuo Carolomanno, fratre Caroli Magni, Bertha uxor ejus præ nimia invidia, qua flagrabat adversus Hildegardam Caroli conjugem, Andoarii consiliis, unà cum liberis ad Desiderium Longobardorum Regem in Italiam profugit, sperans fore, ut Longobardorum viribus ab Adriano Pontifice filii sui Reges Galliæ constituerentur: eoque modo bellum inter Francos & Longobardos excitavit. *Bonfin. Dec.*1. *l.*9. *& Blond. Dec.*2. *lib.*1.

Henricus VI. Anglorum Rex in matrimonium duxit Margaritam, Renati Andegavensium ducis, ac Regis Siciliæ filiæ, puellam tam ultra alias fœminas pulchram, quàm prudentem, ac animo præditam ingenti. Hæc cùm animadverteret Henricum virũ non ad suum, sed ad Humfredi ducis Glocestrensis (qui Henrico adhuc puero Angliæ regens cum laude fuerat) præscriptum regnare, statuit sibi curam rerum suscipiendam, ac ducem omni paulatim auctoritate, qua maximè pollebat, privandum, ut ne diceretur ipsa nihil quoq; sapere, quæ pateretur, maritum ætate jam provectum sub tutela esse aliena: Itaque Glocestrensem à rebus publicis exclusit, & ini-

A micorum delationibus in crimen vocatum, quòd scelerum convictos gravioribus pœnis affecisset, quàm lex Anglica juberet; subitò comprehensum, exemplo post hominum memoriam pessimo, clàm strangulavit, post quinque & viginti annos, quàm regnum gubernare cœperat. *Polyd. lib.23.*

Christina Henrici V. Imp. F. Uladislao Boleslai III. Polonorum Regis filio nupta, mulier superbissima, Polonos porcorum loco habebat. *Cromer. l.6.*

☞ *Exemplum Virgineæ AVLI Sulpitii filiæ, Require infra. Tit. Ambitio secundum* ΑΗΨΙΝ *considerata* §. *Pudicitia.*

QUOMODO. AMBITIONIS EXERCITATIO, possessio, considerata Per Se. Sic Exerit Sese *Desiderando.*

Inventus est Erostratus quidam, qui Dianæ Ephesiæ templum incenderet, ut opere pulcherrimo consumpto, nomen ejus per totum terrarum orbem diffunderetur. Quem qui-
B dem mentis furorem eculeo impositus detexit. Ac benè consuluerunt Ephesii, decreto memoriam teterrimi hominis abolendo, nisi Theopompi magnæ facundiæ ingenium, in historiis eum suis comprehendisset. *Val. Max. l.8. c.15.*

Alexander Magnus, Anaxarcho Philosopho ex auctoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referente: Heu me (inquit) miserum, quòd nec uno quidem adhuc sum potitus! Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ deorum omnium domicilio sufficit. *Volat. l.8. c.15. & Ælian. l.4. De eo Iuvenalis Sat.10.*

Vnus Pellæo juveni non sufficit orbis.
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Vt Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho:
Cùm tamen à figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. ——

C. Cæsar Caligula queri palàm de conditione temporum suorum solebat, quòd nullis calamitatibus publicis insigniretur. Augusti principatum clade Variana, Tiberii ruina spectaculorum apud Fidenas memorabilem factum: sui oblivionem imminere prosperitate rerum. Atque identidem
C exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat. *Svet.*

C. Marii ambitionem in morbo extremo, quo etiam decessit, autumant eluxisse, atque in delirium evasisse absonum. Bellum se ratus est cum Mithridate gerere. Mox, quomodo in ipsis solebat prælиis, varios gestus & corporis motus validò cum clamore crebrisque jubilis edidisse. Adeò flagrans & impotens ex ambitione & æmulatione amor ei illius erat provinciæ impressus. Undè annos natus septuaginta, qui inter mortales septies consul primus fuerat creatus, censum opesque multis sufficientes regibus possidebat: sortem lamentabatur suam, quasi egenus & expers eorum, quæ appetebat, decederet immaturè. *Plut. in Mario.*

Bello incumbente Scotico, tributum imperaverat Anglis Henricus VII. Rex. Id Cornubienses, qui insulæ partem sterilem valdè incolunt, conferre negarunt, factaque seditione, Thomam Flammuchum legulejum & Michaelem Josephum fabrum ferrarium duces elegerunt, qui armata manu Londinum petierunt. Rex inconsultæ multitudini non statim obsistere, sed quàm longissimè domo abstrahere stu-
D duit, ne à suis sublevari possent. Jamque Londinum obsidentes aggressus, vicit, duces ipsos supplicio affecit. Michaelem Josephum ferunt, dum ad mortem traheretur, seipsum consolatum, quòd ob id facinus speraret sui nominis memoriam perpetuatum iri. *Polyd. l.26. Angl. hist.*

Gabrinus Fundulus Cremonensium tyrannus, felici astu à Philippo Vicecomite Mediolanensium duce captus, cùm medio in foro Mediolani conspecta supplicii machina cervices securi subdere cogeretur, hortarenturque eum de more cucullati sacerdotes, ut ex disciplina Christiana composito animo vitæ exitum ferret, patratorumque scelerum, sperata indè à Deo optimo maximo venia, ritè pœnitere vellet: contortis atrocibus oculis: Definite, inquit, mihi indignè perfidiosèque prodito molesti esse: nam tantùm abest, ut me jure belli factorum commissorumque pœniteat, ut maximè etiam doleam, quòd Papam simul atque Cæsarem ad immortalem clariss. facinoris famam, è mea turre minimè præcipitarim. Paucos etiam antè annos Joannem XXIII. Pp. & Sigismundum Imp. hospitio exceptos studioque peramœni atque admirabilis prospectus in summam celeberri-
E mæ turris coronam invitatos, incessente atrocem animum dira libidine, in subjectum forum provolvere cogitarat. *Fulg. lib.9. c.11. & Iovius in Philippo.*

Hieronymus Olgiatus, unus è quatuor, qui Galeacium Sforciam Mediolanensem ducem confoderunt, in carcere & inter sævissima tormenta commentarium dictavit, quo apertè fatetur, ad id facinus se adductum solo gloriæ ac magni nominis desiderio: quo incensum se dicebat, cùm priscorum hominum res præclarè gestas puer adhuc in literario ludo legeret, faces subdente Carolo Montano præceptore, & perpetuo encomio Brutum Cæsaris interfectorem extollente. Notarius, qui morienti astabat, scripsit, cùm extremam penè animam Hieronymus ageret, Latinè hæc verba sub carnifice effudisse, cùm jam cultro obtruso pectus illi incideretur, commemorato tam acerbæ mortis optato præmio: Collige te, Hieronyme, stabit vetus memoria facti. Mors acerba, fama perpetua. *Fulg. l. 8. cap. 15. & Egnatius eodem.*

Anno Salutis 1537. cùm in Butrotio litore Solymannus haberet castra, Acroceraunii agrestes ferique homines, qui Chimæram montem incolunt, consilium susceperunt ta-
F bernaculi regii noctu invadendi, concitante eos Damiano quodam latronum duce: ut incredibili præda, atque insuetati facinoris gloria potirentur, si longè maximum terrarum orbis Imperatorem in tabernaculo semisopitum, & frustrà tot custodiis confisum, occiderent. Sed barbaris ad id facinus fortuna defuit. Nam ipse dux Damianus è rupibus delapsus ad explorandum prætorii situm, conspectus in arbore ex fragore abruptæ frondis, uti erat semipensilis & speculabundus, à Janizaris est comprehensus, & per tormenta detectis insidiis, jussu Imperatoris belluæ captæ modo discerptus est, emissique sunt in reliquos Asapi & Acanzi venationis modo ad trucidandam, & quàm maximè possent delendam ejus gentis stirpem. *Iovius lib.36.*

Mentiendo.

Alexander Magnus Indiam invitis Macedonibus tentare non audens, paravit se ad reditum; multaque fucata & commentitia est machinatus: quippè grandiora arma & equorum præsepia, frenaque fabricatus ponderosiora, reliquit & disseminavit. Posuit præterea deorum aras: quas hac G
quoque memoria Præsiorum Reges trajecto flumine venerantur, immolantque hostias ibi Græco ritu. *Plut. in Alex.*

Senecio fuit quispiam, qui grandia semper cupiebat dicere. Idem servos nolebat habere, nisi grandes, & argentea vasa nonnisi grandia. Concubinam habebat ingentis staturæ: summis insistebat digitis, quum diceret, ut grandior videretur. *Ravisius.*

Iactando sua.

☞ *De Iactantia, inter Affectuum effectus suo loco egimus. Illic Perturbatio, hic Habitus considerantur.*

Psammi filio Psammetichi apud Ægyptum regnante, nuncii Heliorum à Græcia dimittebantur, jactantes à se in Olympia justissimum ac maximum inter mortales propositum esse certamen, rati, ne Ægyptios quidem hominum sapientissimos aliquid ultra hæc esse inventuros. *Herodot.*

Olim Megarenses Corinthiis erant vectigales. Cæterùm cùm illorum imperium graviter ferrent, ac defectionem pararent, missus est Legatus Corinthiorum nomine, qui apud plebem Megarensem cùm alia multa ferociter dixit, tum illud indignabundus ac vociferans intonuit: Οὐκ ἀνέξομαι διὸς
H Κόρινθον: id est, Non feret Jovis filius Corinthus. Id ubi sæpius iteraret, concitatus populus, succlamare cœpit, πάτα, πάτα διὸς Κόρινθον, Feri, feri Jovis filium Corinthum; simulque legatum expulerunt. *Ex interprete Pindari in Nemeis, Cælius lib.21. c.26. Antiq. Lect.*

Ostentando.

Ezechias Rex, post corporis sanitatem & signi magnitudinem nata occasione superbiæ, quam ut prudens & Dei cultor vitare debuerat, monstravit alienigenis divitias suas quas Deo tribuente possederat. *Hieronymus lib. 11. com. in Esaiam, cap. 39.*

Diogenes Cyncius multa horrenda faciebat, ut omnium oculos ad se suspiciendum mirandumque converteret: idcircò cùm media hyeme in rigidissima lavaret aqua, frequensq; id populus spectàs misertus hortaretur, ut sibi parceret; Plato exclamavit: Si vultis ejus misereri, discedite; quippè illud Diogenes non virtutis causa, sed circùfusæ multitudinis agebat. *L. Vives lib. 21. August. de Civit. Dei, c. 16.*

Respe-

A

Respectu Aliorum, Cum Quibus Veluti Certat. Æmulationes ambitiosæ quæ sese produnt,

Invidendo.

☞ *Invidiæ, tanquam Affectus, locus est generalis: Hic solam alienæ gloriæ invidiam consideramus.*

Syagrius Homero infensissimus, fuit cœvus Homero, uti Zoilus & Xenophanes Colophon, ætate posteriores.

Socratis æmuli fuerunt Antiochus Lemnius, & Antiphon aruspex: Pythagoræ Cydon & Onata: Hesiodi Cercops & Xenophantes Colophonius: Pindari Amphimenes Cous, Thaletis Pherecydes, Biantis Salarus Prienæus, Pittaci Antimenides & Alcæus, Anaxagoræ Sosibius, Simonidis Timocreon. *Laertius lib.2. in vita Socratis, ex 3. lib. Poeticæ Aristotelis recenset.*

Aristoxenus Tarentinus Thucydidis æmulus in historia, Philisti historici Syracusani mastyx, Platonis divini infectator prorsus infans, impolitus, pinguis, & Siculo oblitus adipe, bellum Siculum ab Atheniensibus gestum scripsit.
B Cujus meminit *Plut. in Proœmio Niciæ.*

Catullus Veronensis Volusio Patavino & amorum & literarum causa infensus fuit, eò potissimùm quòd Augusto Cæsari charus esset, & ab eodem Annales Romanos, Enniana imitatione, scribendos suscepisset. *Bernard. Scardeonus lib.1. classe 3.*

C. Cornificius poeta Virgilium assiduè mordebat, quòd eum gloriæ suæ obstare videret. *Gyrardus in 4. Dial. historiæ Poetarum.*

Mævius & Bavius mali poetæ, Virgilii & Horatii æmuli, ut ipse *in Bucolicis*:

Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mævi.

Caligula pulchros & comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. Erat Esius Proculus patre primipilari ob egregiam corporis amplitudinem & speciem Colosseros dictus. Hunc è spectaculis detractum repentè & in arenam deductum, Thraci, & mox Hoplomacho comparavit: bisque victorem constringi sine mora jussit, & pannis obsitum vicatim circumduci, ac mulieribus ostendi, deinC dè jugulari. *Sveton.*

Adrianus Imp. fuit & videri voluit omnium artium peritissimus, in rhetoribus & grammaticis carpendis frequens, omnium ferè artium professores præ se contempsit, arguebatque eos palam ut indoctos. Homeri quidem certè gloriam extenuare, & Antimachum illius loco celebrare instituit, cujus etiam nomen priùs multi ignorabant. *Dion.*

Phavorinus philosophus Plutarchum Cheronensem ferre non poterat. *Cel. lib.19. cap.12. A.L. & Svidas.*

Non ferendo laudationes aliorum.

Asinius Pollio, cùm à Messala Corvino vocatus esset, ut Sextilii Henæ Cordubensis poetæ carmen de Ciceronis morte audiret, & Sextilius in principio hunc versum sine assensu recitaret:

Deflendus Cicero est, Latieque silentia lingua.

Tum Pollio graviter commotus, ait: Videris tu, Messala quid tibi liberum sit in domo tua: ego istum non sum auditurus, cui videor mutus. Et simul consurgens abscessit. *Gyraldus Dial.4. Hist. poet. ex Seneca.*

Cùm quodam die muneris, assedario Potio, ob prosperam pugnam servum suum manumittendi, studiosius plausum esset, ita se protripuit è spectaculis Cajus Imp. ut calcata lacinia togæ præceps per gradus iret indignabundus, & clamitans, Dominum gentium populum ex re levissima plus honoris gladiatori tribuentem, quàm consecratis principibus, aut præsenti sibi. *Svet.*

Declinando congressum æmulorum.

Absens Laurentius Celsus quadragintavirali suffragio dux creatus, patre adhuc superstite, qui tum Venetiis agebat, quum universa civitas maximè lætaretur novo ducis adventu, patrem obvium nunquam habuit, qui filium ducem incolumem gratularetur. Quòd scilicet ille iniquo ferret animo, se patrem ita filio occurrere debere, ut eum nudato capite salutare cogeretur: quasi verò nesciret, quicquid honoris impenderetur filio à patre, id publicæ majestati, non privato ulli officio deberi. Cæterùm quantò pater haud fatis civili animo sese gessit, tantò magis pietas prudensque consilium filii laudari debet: qui pileo suo in fronte crucem auream affigendam curavit (quod & reliqui duces in hunc E
usque diem retinent) ut crucis vexillo, non filii dignitati reverentiam exhibere videretur: id quod pacatissimo posteà animo pater excepit. *Egnat. lib.5. c.6.*

Rogatus Joannes Alemannus, cur Strigoniensi Archiepiscopatu temerè cessisset? Caudati monachi pulveres, longum antè syrma trahentis, ultrò se tolerare non potuisse, respondit: Gabrielem Brixiensem Cardinalem cavillatus, quem sibi apud regem Ungariæ Mathiam Corvinum præferri æquo animo pati non poterat. Ad Cæsarem itaque Fridericum III. confugit, à quo Salisburgensi Episcopatu donatus est. *Bonfin. lib.6. Dec.4.*

Græcas literas Politianus docuit Florentiæ magno auditorum confluxu. Quò cùm venisset Demetrius Chalcondylas Byzantinus, & eodem tempore literas Græcas doceret, auditores Demetrio relicto auditioni Politiani malebant vacare, quem magis idoneum in docendo judicabant. Id Chalcondylam offendit, æmuloque cedens, Mediolanum transtulit. *Boissardus in ejus vita.*

Reprehendendo, Obtrectando.

Aristoteles Peripateticorum princeps utinam in gloria experenda fuisset paulò moderatior, quę illi haud dubiè con- F
tigisset amplissima: qui inventorum diligentia, & acumine priores omnes longè antecedebat, potuisset nobis relinquere multa à priscis sapientiæ studiosis acutè ac prudenter excogitata: sed ille ut indefecto illo suo studio omnes quotquot antè se aliquid scripserant, evolverat, legerat, excusserat: ita neminem præterivit, quem non carperet, ratus tantum in se derivatarum gloriæ, quantum aliis omnibus ademisset, tanquam sublimior esset cæteris, acutiusque ac longiùs prospiceret. Carpit quidem plerumque meritò, in quo ingentem meretur laudem, quòd falsas aliorum opinationes tanquam periculosa loca indicarit: Sed nonnunquam affectatè interdum non citra calumniam, in quo eum multi incesserunt. *L. Vives de Causis corrup. artium lib.1.*

Asinius Pollio, teste Quintiliano, pati non poterat sibi quemquam præferri. Quocirca (ut *Tranquillus in Cæsare* dicit) commentarios Cæsaris, ab omnibus tantoperè commendatos, non est veritus damnare: dictitans parùm diligenter parùmque integra veritate compositos. Idem carpebat in Salustio verba obsoleta, in Cicerone stylum nimis exanguem & elumbem: Livio objecit, quòd peregrinus es- G
set, longiùsque à Latio versatus, & propterea stylum ejus aliquam Patavinitatem sapere.

Cæstius, homo nasutissimus, sed nullius ingenii, Ciceroni etiam infestis, quod illi non impunè cessit. Nam quum M. Tullius Ciceronis filius Asiam obtineret (homo qui nihil ex paterno ingenio habuit, præter urbanitatem) cœnabat apud eum Cæstius. M. Tullio & natura memoriam dempserat, & ebrietas, si quid ex ea supererat, subducebat: subindè interrogabat, qui in imo recumberet. Et quum pluries subjectum nomen Cæstii excidisset, novissimè servus, ut aliqua nota memoriam ejus faceret cettiorem, interroganti domino, quis ille esset, qui in imo recumberet? ait: Hic est Cæstius, qui patrem tuum negabat literas scisse: asserti protinùs flagra jussit, & Ciceroni patri de corio Cæstii parentavit. *Seneca, Cælius lib.14. cap.7. A.L.*

Ad Lælium, *Martialis Epigrammat. lib.1.*

Cum tua non edas, carpis mea carmina, Lali:
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Scriptis lacerando. H

Zoilus Amphipolites sophista, hoc facinore potissimùm nobilitatus, quòd Homerum poetarum omnium principem ausus est libris aliquot in eum scriptis incessere: undè ὁμηρομάστιξ cognomen meruit, quod ipsum etiam abjit in proverbium: sic enim appellati cœpti nobilium auctorum castigatores, vel Plinio teste in præfationem Historiæ naturalis: ut & Virgiliomastyges, quorum de numero fuit Pero. Zoilus commentarios in Homerum compositos Ptolemæo tyranno Ægyptiorum obtulit, ingens videlicet præmium à rege sperans. Verùm cum nihil mitteretur, penuria coactus, misit qui peterent. Ibi Ptolemæus ait se mirari, cùm Homerus tot annos defunctus tot hominum millia pasceret, Zoilum egere, Homero doctiorem.

Didymus Alexandrinus livore motus sex lib. in M. Tullium edidit, dictus propterea Ciceromastyx.

Gallus Asinius & Largius Licinius M. Tul. Ciceronis æmuli fuere, eumque parum integrè, impropriè & inconsideratè locutum scribere sunt ausi. Licinius ipse Ciceromastigem librum inscripsit. *Gell. lib.16. c.1.*

A Scripsit Cicero Catonis Uticensis laudationem: cui libro Catonem nomen reddidit. Is nimirùm omnium maribus terebatur, ut ab oratore eloquentissimo in argumento factus præstantissimo. Pupugit id C. Jul. Cæsarem, notam suam ratus mortui ipsius causa celebrationem. Edita igitur contraria oratione, vim magnam criminum in Catonem congessit. Libello Anticatoni titulum fecit. Habet uterque liber æmulos Cæsaris & Catonis causa multos. *Plut. in Cæsare.*

Dissentiendo.

Quum apud Argos flumen Philocles prætor Atheniensiũ classem haberet: neque longè abesset Lysander prætor Lacedæmoniorum (qui in eo erat occupatus, ut bellum quàm diutissimè duceret, quòd ipsis pecunia à Rege suppeditabatur: contra Atheniensibus exhaustis præter arma & naves nihil superetat) Alcibiades licèt exul ad Atheniensium venit exercitum, ibique præsente vulgo agere cœpit, si vellent, se coacturum Lysandrum dimicare, aut pacem petere. Id etsi verè dictum Philocles animadvertebat, tamen postulata fa-
B cere noluit, quòd sentiebat se, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurum; & si quid secundi evenisset, nullam in ea re suam partem fore: contra si quid adversi accidisset, se unum ejus delecti futurum reum. Ab hoc discedens Alcibiades: Quoniam, inquit, victoriæ patriæ repugnas, illud moneo, juxta hostes castra habeas nautica: periculum est enim, ne immodestia militum nostrorum, occasio detur Lysandro, nostri opprimendi exercitus. Neque ea res illum fefellit. Nam Lysander cùm per speculatores comperisset, vulgus Atheniensium in terram prædatum exisse, navesque penè inanes relictas: tempus rei gerendæ non dimisit, eoque impetu totum bellum confecit. *Probus in Alcibiade.*

Cùm M. Acilius Glabrio consul Romanus, devicto Antiocho, postularet ab Achæis, ut exulibus Lacedæmoniorum reditum in patriam permitteretur, eandemque rem de exulibus contenderet T. Quintius, restitit Philopœmenes Megalopolitanus: non odio exulum, sed quòd id suum munus & Achæorum, non T. Quintii vel populi Romani beneficium faceret: ac posteà prætor restituit in patriam exules: adeò inerat ei enixa quædam adversus imperium præ
C animi celsitudine concertationis & contentionis libido. *Plut. in Philopœmene, & Livius lib.36.*

Philip. Vicecomes bello, quod contra Venetos gessit, cum videret Franc. Sfortiam, Nic. Picininum, Angelum Pergulensem, Giudonem Taurellum, armorum ductores, quorum opera utebatur, virtute inter se & rerum gestarum gloriam certantes, ita ut neque consilio neque auctoritate, tempore ullo aut loco, sibi invicem cederent, appareretque ex ea discordia, aliqua insigni clade res suas deformatum iri, nisi intestinæ seditioni maturè occurreretur: imperium copiarum omnium Carolo Malatestæ demandavit. Ferunt, ea electione non tam strenuitatem quæsitam, quàm imperatoris sapientiam, & familiæ splendorem. Neque tamen vel sic imminens calamitas evitari potuit. Ad Maclodium enim Cremonensis agri oppidum cum Venetus pugnandi copiam faceret, Sforcia & Picininus auctores pugnæ esse, contrà Pergulensis & Taurellus dissuadere: cum eo hoste sibi rem esse dicere, qui cunctando tutiùs quàm pugnando superari posset. Ferunt, duos illos, qui omnium ferocissimum prælium suadebant, Carolo sententiam roganti, An cum hoste con-
D fligendum censerent, respondisse: Eum datum sibi ex reliquis à Philippo imperatorem: illius, non sua interesse, prospicere jubereque, quid demùm fieri vellet: quòd si per se, quid facto opus esset, non facilè discerneret, alios consuleret: nam quod ad se attinet, paratum utrumque esse, quemcunque jussi essent ordinem servare: sive in prima fronte esse vellet, sive in extremo agmine: adeò nemo non alieno magis quàm suo periculo ardua & difficilia molitur. Inclinavit Caroli animus tantùm ad pugnam, & magno prælio victus est, sic ut Philippus accisis opibus pacem, quam Veneti voluere, accipere sit coactus. *Sabell. lib.10. Dec.2.*

Factis detrahendo.

Post rem apud Salaminem bello navali contra Xerxem prosperè gestam, cum Athenienses ejus victoriæ haud obscurè auctores haberentur, atque ob eam rem elatis animis, nulli jam dubium esset, eos deinceps Lacedæmoniis rerum navalium haud spontè concessuros principatum: Lacedæmonii summa ope nitebantur Atheniensium extenuare gloriam. Quare cùm judicium de his, qui cæteris fortiùs ac præclarius pugnassent, propositum esset, & suffragia, quibus plurimùm valebant, obtinuere inter judicia, primas ejus vi-E ctoriæ partes urbi Æginetarum decerni: inter viros verò, Amniæ civi Atheniensi, germano Æschyli poetæ, palmam fortitudinis dari: quòd cùm triremis unius esset præfectus, certamen inisset primus, Persarumque primam navem, quæ classis præfectus totius vehebatur, superasset, hostium præfecto in ea interempto. Atheniensibus id graviter ferentibus, Lacedæmonii veriti, ne ejus indignatione rei commotus Themistocles, consilium aliquod adversum se reliquosque Græcos machinaretur, congeminatis eum donis præ omnibus, qui fortiter fecissent, ornatum conciliarunt. Quæ quòd minimè fuerant à Themistocle recusata, populus indignatus, eum magistratu abdicavit: in cujus locum Xanthippus Amphronis dux suffectus est. *Diod. lib.11.*

Calumniando.

Aristoxenus, Mnesiæ musici F. Tarentinus, Aristotelem præceptorem (quòd Theophrastum scholæ successorem reliquisset) contumeliis insectatus est: dicitque fuisse levem, audacem, petulantem, insipientem, indoctum, hominem F invisum, quique pretiosam tabernam medicam clauserit, & in quamvis aulam & scenam insiluerit: atque etiam voracem, lurconem, ad palatum omnia referentem. Quæ mihi vix à circulatore & scurra, in judicio verba effutiente, ferri posse videantur. *Svidas.*

Philistus Syracusanus, vir doctus, & morum tyrannicorum scientissimus, à Dionysio majore legatus, post illius obitum reversus in patriam, per Dionis æmulos accitus, quem Platoni, qui Dionysium minorem instituebat, objicerent. Nam cùm insuperabilem auctoritatem Platonis fore spatio & consuetudine existimarent, qui tunc modico ex usu usque adeò animum inverterat & variaverat Dionysii, ut relictis conviviis, geometriæ operam daret, & erga subditos clementissimus esset: apertè omnes lacerare cœperunt Dionem, & jactare non obscurè, fascinare eum & inficere Platonis eloquentia Dionysium, quò simul atque ille spontè deposuerit potestatem, eam ad Aristomaches filios, quorum avunculus sit, transferat. Nonnulli verò moleste ferre simulabant se, cùm pridem Athenienses, qui ingentibus navalibus & terrestribus copiis eò navigaverant, interissent, oppressique antè fuissent, quàm caperent Syracusas, nunc Dionysii tyrannidem per unum diruituros magistrum: qui persuadeat ei, ut ex decem millium stipatorum profugiens statione, quadringentis triremibus, decem millibus equitum, atque infinitis peditum copiis relictis, in Academia arcanum illud bonum investiget, evadat per geometriam beatus: hanc verò in principatu, pecunia & deliciis felicitatem Dioni permittat & Aristomaches Dionis sororis filiis. His criminationibus circumventus Dion, maximè verò quòd cum Carthaginensibus videretur sentire: in Italiam parvo acatio deportatus, indè in Peloponnesum transmisit. Plato quoque aliquanto post tempore Athenas rediit. *Plut. in Dione.*

Tullius Ausidius Volscorum facilè princeps, C. Martium Coriolanum ob res contra Romanos prosperè gestas odisse cœpit, illius gloria suam obscurari metuens. Itaque conjuratione contra illum facta, in concione populi, qui in conjuratione erant audaciss. non audiendum vociferantes eum, neque permittendum, ut dominatum in Volscos usurparet, nec deponere vellet provinciam: globo facto trucidaverunt eum, neque tulit ei quisquam assistentium opem. Dis-H plicuisse plurimis rem confestim declaraverunt. Concurrerunt enim ex oppidis, & corpus ejus honorificè extulerunt, monumentumque decorarunt, ut bellatoris & imperatoris insignis, armis ac manubiis. *Plut. in Coriolano.*

Februarius dicitur mensis à consule quodam natione Gallo. Cùm enim triumphum de Tyrrhenis egisset Camillus ex æmulatione Februarius pro suggestu clamavit, Camillum non fuisse victoriæ causam, sed Romanorum fortunam. Confinxit etiam literas, & falsa testimonia contra illum comparavit, quasi tyrannidem affectaret. Deindè concitato populo, urbe illum expulit. Ut autem Camillus post captam Romam reversus, Brennum cum Barbaris sustulit, causa in judicium adducta, demonstravit, omnium rerum auctorem fuisse Februarium: propterea que veste exutum, & juncea storea indutum, à Tribuni ministris, qui Vernaculi dicuntur, flagris cæsum, urbe expulit, & mensem qui ab illo nomen habet, breviorem cæteris effecit. *Svidas auctor fabulæ.*

P. Scipionis Africani auctoritas in eum gradum pervenerat, ut non esset privato viro in libera civitate ulterius expe-

tendum.

A tendum. Hanc magnitudinem sustinere non potuit inimicorum invidia. Nam duo Tribuni plebis, Portii Catonis (ut quidam suspicatur) opera concitati, diem P. Aphricano dicunt, & pecuniæ ab Antiocho rege in expeditione Asiatica acceptæ, & non in publicum relatæ, eum insimulant. Is suæ probitatis conscius, vocanti magistratui paret, ac ingenti fiducia animi in forum progressus, orationem amplam magnificamque habet de rebus à se pro Rep. gestis, quarum commemoratio non pro gloria, sed pro periculo habita, à multitudine, quæ ibi frequens aderat, æquis animis recipitur. Instant tamen Tribuni, multis calumniis hominem onerant, & quasi culpæ obnoxium, suspicionibus magis quàm argumentis accusant. Sequenti die citatus iterùm Aphricanus, ad constitutam horam præstò adest, & cum magno comitatu amicorum per mediam concionem ad Rostra progreditur. Ibi silentibus cunctis: Memini, inquit, Quirites, me tali die de Annibale & Pœnis egregiam victoriam consequutum. Quamobrem postpositis litibus, hinc eundum in capitolium censeo, ut pro Republica felicissimè gesta divino numini gratias agamus. Proficiscentem deindè P.
B Scipionem non modò in Capitolium, sed etiam ad omnia templa urbis, sequuta universa concio est, magistratu cum solis ministris relicto. Hæc velut ultima prosperitatis dies, & frequentia hominum, & benevolentiæ significatione quacunque antecedenti felicior Aphricano illuxit. Nam posteà ruri agere vitam procul ambitione ac foro constituit. Itaque Linternum se contulisse traditur, seu vehementi indignatione commotus, quòd post tanta beneficia in civitatem collata, pro mercede ignominiam reportaret: seu quia satietate gloriæ captus, generosius duceret, spontè inimicorum invidiæ cedere, quàm vi & armis magnitudinem suam tueri. *Auctor vitæ Scipionis.*

M. Marcellum è præda Syracusarum signa & ornamenta plurima Romam deportantem, Æmuli reprehendebant primùm, quòd invidiam conflaret urbi, in qua etiam de diis velut captivis triumpharetur, nedum de hominibus; deindè quòd enutritam in bellis & agricultura plebem, quæ luxum vel socordiam non gustaverat, in otium conjecisset, & loquacitatem de artificiis artificibusque garriendi, plurimum temporis ea in re terentem. Cùm verò impedirent invidi,
C ne triumphans in urbem Marcellus inveheretur, quòd reliquiæ belli in Sicilia quædam essent, & in oculos hominum incurreret tertius triumphus, cessit ipse. Triumphavit in monte Albano, inde ovans urbem injit. *Plut. in Marcello, & Livius lib.10. Dec.3.*

In magna auctoritate apud Antiochum regem erat Annibal. Sed invidia, quam plerumque regiæ domus alunt, multos Aulicos Annibali adversarios peperit: qui cùm vererentur, ne Imperator aucupando gratiam regis, in maximum auctoritatis & potentiæ gradum ascenderet, eum suspectum reddere nitebantur. Accidit etiam per id tempus, ut P. Villius legatus Rom. Ephesum veniens, frequentem cum Pœno sermonem haberet: ex quo facilè data est obtrectatoribus criminandi facultas, & tanta suspicio de fide Annibalis Antiocho orta, ut omninò à consilio regio excluderetur. *Auctor vitæ Annibalis.*

Facta imitando.

Aristoteles, cùm florere Isocratem nobilitate discipulo-
D rum videret, quòd ipse suas disputationes à causis forensibus & civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, immutavit repentè totam formam propriæ disciplinæ. Itaque ornavit & illustravit doctrinam illam, & omnem rerum cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit. Nec verò hoc fugit sapientissimum regem Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem ediderit, à quo & sciendi præcepta perciperet, & loquendi. *Cicero in Oratore.*

Erat Alcibiades hospes publicè Lacedæmoniorum, curamque habuerat eorum, qui capti fuerant ad Pylum. Cæterùm quia pacem illi opera Niciæ Nicerati F. potissimùm obtinuerant, captivosque receperant, atque ideò diligebant eum mirificè: eratque in ore Græcis, à Pericle bellum conflatum, finitum ab Nicia fuisse, eamque pacem nominabant plerique Niciam: haud mediocriter anxius Alcibiades, invidensque ei, statuit convellere fœdus. Ac primùm cùm suboluisset ei quærere Argivos odio ac metu Lacedæmoniorum perfugium, fecit iis clam spem Athenienium societatis: Atque eos cùm per nuncios, tum ipse cum primoribus populi agens confirmavit, ne formidarent aut succumberent Lacedæmoniis: sed respicerent Athenien-E ses & spatium darent. Advenerunt ab Lacedæmone legati cum æquis, ut statim ostendebant, mandatis: docuerunt que cum libera potestate se ad omnes controversias æquis legibus componendas missos. Cùm id placeret curiæ, & esset populi concilium in posterum diem indictum: trepidus Alcibiades perfecit, ut colloquerentur secum legati, & populi inconstantiam illis describens, hortator illis fuit, ita cum populo agerent, quasi potestatem non haberent plenam: seque illis in concione præstò futurum pollicitus est jurejurando interposito, ne cum Nicia sentirent. Insequenti die convenit populus, quò legati processerunt. Rogati sanè quàm comiter ab Alcibiade, Quid venissent? negaverunt, libera mandata habere. Mox Alcibiades instare cum clamore, quasi non eos injuria afficeret, sed afficeretur ipse, perfidos & versipelles appellans: neque ut quicquam boni vel facerent vel dicerent, ostendens venisse: fremere etiam senatus, exardescere ira populus. Nicias impostura & doli ignarus, stupore & pudore ex istorum hominum inconstantia defixus esse. Ita explosis Lacedæmoniis, Alcibiades designatus Prætor, Argivos, Mantineos, & Elios adjunxit ex-F templò populo Athenienſi socios. Hoc astu penè universam dissociavit & concussit Peloponnesum, atque uno die tot legiones in acie ad Mantineam Lacedæmoniis objecit, certamenque iis & periculum remotissimè ab Atheniensium finibus conflavit: in quo non multum operæ pretii fecerunt ex victoria victores, & si offendissent, vix esse Sparta poterat incolumis. *Plut. in Alcibiade.*

Antiochus Epiphanes, cùm L. Pauli Æmilii Romanorum ducis certamina in Macedonia absoluta fuisse audivisset, ac vellet largitionis magnificentia Paulum superare: legatos speculatoresque in civitates misit, qui ea certamina nunciarent, quæ ab ipso in honorem Daphnes essent facienda: ita ut multum studium per universam Græciam ad eum eundi concitaretur: Quorum triumphum & pompam *Athen. lib.5. cap.4.* recenset.

M. Crassus dives, orator summus, bello Marsico & civili, suam L. Syllæ operam comprobavit, eique charus fuit Agitabat eum C. Pompeii ætate inferioris in rebus gerendis successus, & quòd priùs, quàm esset in senatum lectus, trium-G pharet, appellaretque à civibus Magnus. Ac cùm aliquando diceret quispiam Pompejum Magnum adesse: idens quæsivit, quàm Magnus? Mordebat & id Crassum, quòd Syllæ adeunti caput aperiret, & Imperatorem salutaret. Cæterùm abjecta spe illum rebus bellicis æquandi, confugit ad togam: atque officiis, defensionibus, mutuum dando, commendando, & sufftragando candidatorum petitionibus opes, & auctoritatem comparavit parem, atque ex multis magnisque bellis gestis Pompejus habebat. Fuit autem quiddam in illis singulare. Majus erat absentis Pompeji nomen & potentia in urbe ob res ejus bello gestas. Præsens verò concedebat frequenter Crasso: quòd ex fastu & gravitate morum multitudinem declinaret, & devitaret forum: paucis autem & ægrè petentibus advocatum se præberet, quò favorem haberet vegetiorem, ubi pro se ageret. Crassus verò, cujus patebat perpetuus fructus, qui rarus non erat, neque difficilis aditu, sed in mediis volvebatur negotiis, civilitate ac humanitate antecelluit illius supercilio. Corporis majestas, facundia, oris blanditia suppetebat, uti ferunt, utrique ex æquo. Ad inimicitiam tamen aut simulta-H tem non deduxit hæc æmulatio Crassum. Nam Pompejum & Cæsarem ægrè ferebat quidem in majore honore esse: verùm ei ambitioni offensionem vel malevolentiam non adjungebat, licèt captus à piratis Cæsar atque in custodia asservatus, exclamaverit: Quanto gaudio, Crasse, perfunderis nunciata mea captivitate? In summa, cùm distracta civitas Romana in tres factiones esset, Pompeji, Cæsaris, Crassi (nam Catonis nomen majus quàm opes erat, & opinio virtutis ejus plus pollebat) pars cordatior & constatior civitatis Pompejum colebat, præceps & levis sectabatur Cæsaris spes, intermedius Crassus utraque utebatur. *Plut. in Crasso.*

Domitianus Imp. expeditionem in Galliam, Germaniasque, neque necessariam, & dissuadentibus paternis amicis inchoavit: tantùm ut fratri se operibus & indignatione adæquaret: ob hæc correptus, quò magis ætatis & conditionis admoneretur, habitabat cum patre unà, sellamque ejus ac fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur, ac triumphum utriusque Judaicum equo albo comitatus est. *Svetonius.*

A *Occasionem gloriæ adimendo, præcidendo, avertendo.*

In quodam Magnesiæ sinu locus est, in quo fertur Hercules, cùm à navi Argo aquatum missus esset, derelictus fuisse ab Jasone atque à sociis, dum in terram Colchidem ad vellus navigarent, quoniam suo pondere navem aggravabat: revera autem quoniam fortitudine sua reliquorum gloriam offuscaturus videbatur. Illinc ergo absente Hercule profugere, eaque de re nomen loco fertur esse Aphetæ, à dimissione. *Herodotus lib.7.*

Agesilaus Lysandri opera Leontychidi in regno prælatus, ejusdemque commendatione á civitatibus Asiaticis contra Persas vocatus, cum videret in Asia paucos idque rarò se adire, Lysandrum verò ex pristina consuetudine frequenter: invidia & ambitione flagrans, primùm non concessit rei ullius gerendæ materiam, neque ulli rei præfecit eum. Deindè quorum commendare tem vel studiosum Lysandrum intelligeret, eos semper inanes atque infra abjectissimum quemque dimittebat honoratos. Atque ita sensim illius labefactabat & diluebat auctoritatem, donec eum B etiam carnium dividendarum muneri præficeret, multis gregatiis militibus res gerendas urbesque regendas committens. *Plut. in Lysandro.*

Postquàm Canon & Pharnabazus, qui regia classe mare obtinebant, maritimam Laconiam vastabant, & urbs Athenienses mœnibus septa est, sumptum præbente Pharnabazo: pacificati sunt cum rege Lacedæmonii, civemque suum Antalcidam ad Tiribazum miserunt, & Asiaticos Græcos, pro quibus bellum Agesilaus gesserat, regi prodiderunt. Undè contigit Agesilao, ut haud quaquam illius infamiæ ad eum contagio perveniret. Quippe erat ejus Antalcidas inimicus: qui pacem hanc quovis modo ursit, quòd bellum Agesilaum amplificaret, illustraret, & supra omnes extolleret. *Plut. in Apopht. & in Agesilao.*

Victis à Cleomene rege Spartano Achæis, Aratus Sicyonius, qui altero quoque anno prætura erat fungi solitus, abdicavit & detrectavit magistratum, invitantibus eum & orantibus Achæis: parum honestè, sicut id sæviore rerum tempestate, alteri clavum permittens, & tradens rerum arbitrium. Achæi ergo fœdus cum Cleomene iniverunt, ei- C que imperium permiserunt. Tum Aratus, sive diffidentia & timore Cleomenis, sive insperatæ prosperitati ejus invidens, ac probrosum putans, ut sibi, qui tres & triginta annos principatum obtinuerat, nomen simul & opes juvenis subitò detraheret, atque extorqueret rerum ab se auctarum & tam diu rectarum imperium: primùm deterrere Achæos & prohibere annisus est à fœdere. Ubi non paruerunt ei Cleomenis audacia attoniti, imò etiam æqua arbitrati sunt Lacedæmoniorum postulata, qui Peloponnesum in veterem statum instituebant reducere: ad factum convertit se, cùm nulli honestum Græco, tum turpissimum illi, ejusque rebus gestis & actionibus indignissimum, in Græciam ut Antigonum acciret, Macedonibusque impleret Peloponnesum, quo ipse indè adolescens pepulerat, liberato Acrocorintho, omnibusque regibus suspectum se & inimicum reddideret, atque in hunc ipsum Antigonum in editis ab se commentariis infinita effuderat probra. *Plut. in Cleom.*

T. Quinctius Flaminius, victo Philippo, pulcherrimum D & justissimum cum Nabide auspicatus bellum, teterrimo & immanissimo Lacedæmoniorum tyranno, in exitu Græciæ spem destituit. Cui in manu cùm esset illum obterere, noluit; sed fœdus cum eo fecit, & Spartam indigna oppressam servitute reliquit; vel veritus, ne si bellum duceretur, alius successor Roma missus gloriam sibi auferret; vel invidia & æmulatione Philopœmenis Megalopolitani honorum. Quem, cùm in omnibus aliis summum inter Græcos imperatorem, tum ob ejus eximia virtutis & consilii illo edita bello opera, patiter ac Quintium, Achæi extollerent & decorarent in theatris: indignam rem ille censebat esse, si pari in honore Consul Romanus pro Græcia propugnans, & homo Arcas minutorum & finitimorum dux bellorum essent. Ipse tamen Quintius excusavit, bellum deposuisse se, ubi tyrannum perspexit non nisi cum grandi aliorum Spartiatarum pernicie periturum. *Plut. in Flaminio, & Philopœmene.*

P. Scipionis ex Hispania redeuntis gloriæ Q. Fab. Max. invidebat. Itaque primùm, ne consul crearetur, obstitit: mox etiam cum classe in Africam mitteretur. *Plut. in Fabii vita:* ac primò quidem Fabium putat ad impediendum P. Scipionem, ne in Africam cum exercitu proficisceretur, studio securitatis & providentia adductum; quòd discrimen tam E grande horreret: ambitione verò quadam & æmulatione, ut crescentem Scipionem detraheret, incubuisse in id acrius. Nam & collegæ Scipionis suasit Crasso, provinciam ne permitteret ei credeteve, & Carthaginem ipse, si ei videretur, exercitum transportaret. Obstitit etiam, ne pecunia attribueretur in bellum Scipioni: quare pecuniam sibi ipse parare habuit necesse. Hanc Hetruriæ civitates, ejus privatim studiosæ atque in eum propensæ, contulerunt. Crassum cùm sua natura alienum à contentionibus & moderatum virum, tum sacrorum cura, quòd esset Pontifex maximus, in Italia retinuit. Quare Fabius Scipioni alia obsistens via, impedivit & intercessit, ne delectum juventutis, quæ voluntaria nomina dare volebat, posset habere. In curia & ad populum fremebat, illum non solùm fugere Annibalem, verùm etiam, quod reliquum in Italia virium esset, id exportantem abscedere, ipse lactare juventutem, & inducere, ut parentes, conjuges, patriam, cujus in foribus potens & invictus sedeat hostis, deserant. Hæc cum diceret, pavorem injecit civibus. Solas itaque decernunt ei ad bellum legiones, quæ in Sicilia erant, & ut ducere secum ex iis, quos reportaverat ex Hispania, trecentos posset: quorum usus fideli opera est. Jam F verò cùm in Sicilia esset, obtrectatores eum criminabantur exercitum in Sicilia habere væcordem, & omni disciplina solutum militari, ipsum ducem oscitantem totum se ad voluptates & otium contulisse. Præter cæteros Fabius Maximus in Scipionem invectus, sic modum excessit, ut extemplò revocandum ex Sicilia, abrogandumque ei imperium censeret. Hæc nimis aspera visa omnibus sententia est. Quamobrem Q. Metelli consilium secuti patres decreverunt, ut decem legati in Siciliam transmittentes, cuncta quæ de Scipione ad senatum delata erant, diligenti studio perquirerent; si nocentem invenissent, statim jussu Senatus in Italiam revocarent: sin verò falsa essent crimina, & vanæ invidorum calumniæ, dimitterent ad exercitum, hortarentutque ut fidenti animo bellum susciperet. Profecti in Siciliam legati, in discutiendis singulis rebus nullam Scipionis culpam invenire potuerunt. Exercitum verò, classem & omnem apparatum belli cum intuerentur, sic admirati esse dicuntur copiam & ordinem singularum rerum, ut posteà in urbem redeuntes amplissimis laudibus P. Scipionem efferent, & rejectis invidorum calumniis, ad certissimam victoriæ spem G Senatum populumque Romanum revocarent. Ut verò trajecit in Africam Scipio, & eximia ejus gesta victoriæque incredibiles & clarissimæ annunciatæ Romam sunt, omnibus civibus Scipionem laudibus tantas ob res gestas ad cœlum ferentibus, Fabius mittêdum Scipioni censebat successorem: nullam causam proferens aliam, nisi quòd illud jactaret triviale, Anceps esse tantam rerum molem credere unius fortunæ viri: non temerè eidem semper respondere fortunam. Quare offendit populum, habitusque est morosus & malignus, aut præ senio exsanguis omninò & deploratæ spei, qui præter modum ab Annibale trepidaret. *Livius lib. 7. Decadis 3.*

L. Lucullus Cn. Pompeji gloriæ invidens, ut is in Hispania cum Sertorio dimicans detineretur, missa pecunia à Senatu effecit, ne sibi provinciam Ciliciam, belli contra Mithridatem gerendi sedem, præriperet. Hæc simultatum occasio prima. Posteaquàm eam provinciam biennio administravit, & Mithridatem simul atque Tigranem reges potentissimodò non captos subegit, per invidiam adversariorum mit- H titur ei non provinciæ, sed triumphi successor Pompejus. Romam reversus, cùm Senatus Lucullo adversus Pompeji dominationem veluti propugnaculo uti vellet, Rempublicâ abdicavit, cum jam illam difficilè à lapsu retineri posse cerneret. In forum postulantibus amicorum negotiis descendebat: in curiam, si qua Pompeji esset contentio, & ambitio convellenda. Calumniati eum fuere Pompejani, quasi per Vectium quendam Pompejo insidias struxisset. Cæterùm fides dictis illorum non est adhibita. *Plut. in Lucullo.*

Stephanus Poloniæ rex Polotiam jam ademerat Mosco, & ulteriùs proferebat exercitum. Moscus pacem optabat, Legatis missis. Hi cùm Smolensca Surassum venissent, quòd Surasso regium imperium finiebatur, iis qui deducendorum causa pro more obviàm illis missi fuerant, nolle se ulteriùs progredi, nec in Principis sui ditione mandata sua exponere se posse ostenderunt. Cum illi id in ipsorum potestate fore respondissent: se quidem ad regem redituros: ipsi, si ad Principem suum reverti vellent, neminem impediturum: tandem, ut ergo ut

A ut se pertraherent, hortati comites, risu fuerunt excepti, neminemque ullam iis vim illaturum edocti, ipsi sibi consilium caperent: ridiculè ad extremum vitæ tandem adactos se sequi attestati, secuti sunt. *Reinol. Heidestein. lib. 3. bell. Moscovit.*

Monumenta gloriæ aliorum corrumpendo, abolendo.

Proditur à nonnullis, ab Homero Palamedis Nauplii F. in Græcorum castris perempti poemata combusta fuisse aut exusta, ex æmulatione, etiamsi Agamemnonis id posteris allinant plerique. *Celius lib. 29. cap. 30. Antiq. Lect. ex Svida.*

Meneclides Thebanus orator, disertus quidem, verùm improbus, Pelopidæ & Epaminondæ gloriæ infestus, ob prorogatum Bœotarchatum diem dixit, & magistrum Epaminondam dejecit. Pelopidam verò cùm criminari non posset, Charonis res gestas ad Plataeas extollere, & tabulam prælii cujusdam, quo perstringeret Pelopidæ & Epaminondæ ornamenta, suasit populo, ut inscripto Charonis nomine dedicaret. Hanc rogationem Pelopidas ut adversus legum interdicta latam defert, urgens, non esse ex more The- B banorum aliquem ornare privatim, sed patriæ publicè titulum retinere victoriæ. Ac Charonem quidem non destitit per omnes actiones cumulare laudibus, at Meneclidam ut invidum & improbum arguens, & Thebanos rogitans, num extaret ullum ipsius præclarum factum, litem Meneclidæ æstimavit pecunia: quam cùm ob magnitudinem solvere non posset, res novas postea in urbe molitus est. *Plut. in Pelopidæ.*

Cùm Bochus, Rex Mauritaniæ, simul ad demerendum populum & in gratiam Syllæ signa victoriæ in Capitolio dedicasset, juxtaque Jugurtham ex auro factum, ut Syllæ ab se fuerat traditus, ea de re exacerbatus M. Marius signa ea detrahere paravit. Aliis autem Syllæ auxilium ferentibus civitas penè ab utrisque partibus inflammata fuit. *Plut. in Sylla.*

Herodes Judæorum Rex, genealogias familiarum Judaicarum cremavit, invidens eis generis antiquitatem, de qua ipse novus homo gloriari non poterat. *Euseb. c. 9.*

Caligula Imp. cogitavit de Homeri carminibus abolendis. Cur enim sibi non liceret, dicens, quod Platoni li- C cuisset, qui eum è civitate, quam constituebat, ejecerit? sed & Virgilii & Titi Livii scripta & imagines, paulum abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amoverit: quorum alterum, ut nullius ingenii minimæque doctrinæ, alterum, ut verborum in historia, negligentemque carpebat. De juris quoque consultis quasi scientiæ eorum omnem usum abolituris sæpè jactavit, se (mehercle) effecturum, ne quid respondere possint præter Eccum, vel Eum. Augusti victorias insectabatur, ut funestas P. R. & calamitosas, ideòque vetuit eas solennibus feriis celebrari. Statuas virorum illustrium, ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium campum collatas, ita subvertit, atque discecit, ut restitui salvis titulis non valuerint. Vetuitque posthac viventium cuiquam usquam statuam, aut imaginem, nisi consulto se & auctore, poni. Vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit: Torquato torquem: Cincinnato crinem: Cn. Pompejo stirpis antiquæ, Magni cognomen. *Sveton.*

Domitianus Imp. plurima & amplissima opera incendio absumpta restituit: in quibus & Capitolium, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantùm suo, ac sine ulla pristi- D ni auctoris memoria. *Sveton.*

Nero Imp. victor Isthmicis ludis, ne cujus alterius hieronicarum memoria aut vestigium extaret usquam, subverti & unco trahi, abjicique in latrinas omnium statuas & imagines imperavit. *Sveton.*

Opilius Macrinus Imperium adeptus, statuit omnia rescripta veterum principum tollere, ut jure, non rescriptis ageretur; nefas esse dicens leges videri Commodi & Caracallæ & hominum imperitorum voluntates, cùm Trajanus nunquam libellis responderit, ne ad alias causas facta proferrentur, quæ ad gratiam composita viderentur. *Cuspin.*

Andronicus Comnenus maximum aquæ ductum subterraneum, qui in medio foro potabilem aquam effunderet, maximis sumptibus renovavit, Hydrale fluvio in eum derivato: ad cujus primos fontes turrim extruxit, & ædes ad æstivandum idoneas. Isaacius Angelus, qui Andronico vitam ademit, & turrim & ædes diruit ex invidia pulcherrimi facinoris. *Nicetas lib. 2.*

Laborabat ingenti rei frumentariæ inopia Romana civitas. Sabinianus Papa, qui Gregorio Magno successit, cùm extemplò horrea, sicuti assueverat, Ecclesiæ aperuisset, fru- E mentum quidem populo dividi jussit, verùm non gratuitò, ut Gregorius, sed pretio solidorum tredecim in singulos modios constituto. Quo facto offensi pauperes, quos Gregorius in monasteriis, xenodochiis, & diaconiis frumento publico sustentarat, ipsum facto agmine adjerunt, obsecrantes, ne quos Gregorius tanta charitate pavisset, eos ipse extrema contabescere inedia sineret. Quibus vocibus ille perstrictus, turbato vultu respondit: Si Gregorius laudis quærendæ causa universos ad se attrahere populos voluisset, se illos saturare non posse. Dicto autem erga Gregorium iniquo mox facti quoque gravioris acerbitatem adjunxit; siquidem usque adeò invidum se gloriæ ejus exhibuit, ut etiam scripta illius sanctissima criminatus, ea delere, atque ex hominum memoria evellere cogitarit: fecissetque, nisi Petrus diaconus, intimus Gregorii quondam familiaris, in medium progressus, jurejurando affirmasset, se columbam lucubrantis ipsius auribus assidentem sæpius conspicatum esse, ex quo intelligi posse, quæ scripsit, eum non sine cœlesti Spiritus S. afflatu scripsisse. Qua voce æstimari vix potest, quantum præclaris Gregorii monumentis fidei atque auctoritatis adjecerit. Postero verò anno in quiete à Gregorio ter liberalitatis erga pauperes adhibendæ admonitus, ne ita quidem illius auctoritate obtemperavit. Itaque rursus acriùs castigatus, in capite leviter est percussus. Quem ictum sævus adeò dolor excepit, ut II. Calend. Mart. eo ipso confectus objerit. *Sig. lib. 2. regni. Ital.*

Vitæ æmulorum insidiando, Tollendo.

Joab polemarchus Davidis regis, audiens Abner F. Ner polemarchum Isboseth regis, Saul filii, ad Davidem defecisse, veritus, ne gratia & auctoritate potiore apud regem esset, propter artis bellicæ peritiam, eum specie amici colloquii Hebron ad mediam portam seductum, hastis in complexu ilibus, interemit: fratris Asael (quem Abner in bello interfecerat) mortem se ulturum professus, at re ipsa gloriæ ejus invidens. David rex mortem Abner indignissimè tulit, ita ut domum Joab diris imprecationibus devoverit. 2. *Reg.* 3.

Pseudoprophetæ Bethleensis Iad Prophetam, æmulatione motus, contra Dominum delinquere fecit, ut eo sublato ipse apud regem Hieroboam pristinum locum obtine- G ret. 3. *Reg.* 13. *& Joseph. lib. 8. c. 9. Antiq.*

Ismael Nathaniæ F. invidens Godoliæ, quem Nabuchodonosor Judææ præfecerat, cùm ipse de regio genere esset, eum simulata amicitia ad convivio interfecit. *Joseph. lib. 10. Antiq.*

Persarum Satrapæ Danieli Prophetæ invidebant, quòd illum rex Darius omnibus præfecisset. Itaque miris artibus eum circumvenire studuerunt, quæ tamen ad extremum in illorum redundarunt capita. *Dan.* 4.

Memoriæ propter *Euseb. lib. de falsa religione*, Priapum aliquando cum uno ex illis asellis, qui Bacchum in Indicam expeditionem proficiscentem trans quendam fluvium transvexere, de membri magnitudine decertasse. Victus Priapus victorem ob invidiam occidit, & mox utrosque inter sydera transtulit, uni etiam ut loqui posset concessit. Mansit deinde ea consuetudo in sacris, ut asinus Priapo, tanquam invisum & insidiosum animal, immolaretur. *Natalis Comes Mythol. lib. 5. c. 15.*

Cùm Diomedes & Ulysses communi opera sublato Palladio reditent noctu, Ulysses, quò facti gloriam in se unum H transferret, destinabat occidere Diomedem præcedentem, ac Palladium secum portantem. Itaque cùm ensem in caput illius à tergo vibrasset, Diomedes, animadversa ad lumen lunæ gladii umbra, subtraxit se plagæ, correptumque Ulyssem, vinctis manibus, præcedere compulit, gladio lato subinde cædens illius tergum. Hinc proverbium, Diomedea necessitas. *Svidas ac Zenodotus & Erasm. in Adagiis.*

Talus adolescens, cùm ingenii vi tornum primùm, deindè serram ad imitationem serpentinæ maximæ invenisset, indoluit Dædalus, aliquam artis suæ gloriam in alium derivari, ita adolescentem interemit. Damnatus Athenis in Cretam ad Minoem fugit, cui facili arte conciliatus est, labyrinthumque ei struxit. *Diodorus.*

Cùm Cadmus literas à Phœnicibus acceptas, Græcis tradere vellet, Linum, quòd is quoque literas suas proferret, interemit. Deinde cives Cadmum exegerunt, ut nec huic bono fuerit Linum superasse. *Eras. in proverb. Cadmea victoria.*

Camby-

A Cambyses Persarum Rex fratrem Smerdim innocentissimum æmulatione ejus roboris interfecit. *Herod. lib.* 3.

Artaxerxes Persarum Rex, cæso fratre Cyro in prælio ab aliis, cum ipse omnium hominum vellet existimationem & sermonem esse, interfectum ab se Cyrum: Mythridati, qui Cyrum in temporibus sauciaverat primus, dona misit, præcepitque iis, qui dona ferebant, referre: Hisce te præmiis Rex ornat, quòd stratum equum, quem invenisti, retuleris ei Cyri. Cari quoque, à quo in poplite Cyrus vulneratus occubuit, præmium flagitanti, nunciare, quos misit cum dono, injunxit: Hoc donum tibi Rex, quòd secundus felicem nuncium ei attuleris, mandavit dari. Princeps enim Attaÿras Persa, secundùm illum tu Cyri excessum attulisti. Ac Mythridates cum offensione tacitus abcessit: Miserum Carem idem, qui stolidos solet, tenuit morbus. Quippe præsenti gestiens fortuna, inductusque statim ad asserendum ea quæ supra sortem suam erant, dedignatus est oblatum prosperi nuncii præmium accipere: sed fremuit testans deos, clamitansque, ab nullo Cyrum alio quàm ab se peremptum: qua gloria immeritò se spoliari. Quibus relatis, majorem in B modum exarsit Rex, ac cervicem homini abscindi imperavit. Assistens autem mater regis; Tu verò noli permittere, inquit, Carem hunc nefarium levi tam defungi pœna, sed mercedem à me recipiet temeraria lingua dignam sua. Permittente ei rege, jussit carnificibus Parysatis, ut abriperent hominem, ac per dies decem excruciarent, inde oculis effossis in aures fervens æs instillarent, dum expiraret. Miserè item periit brevi pòst ex insolentia sua Mythridates. Invitatus ad cœnam, cui & regis & ejus matris eunuchi intererant: accessit ad convivium veste & auro, quæ acceperat à rege, comptus. Inter epulandum ille qui inter Parysatidis eunuchos poterat apud illam plurimùm, affatus eum: Ut elegantem hanc tibi vestem, Mythridate, Rex donavit, elegantes etiam torques & armillas, tam pretiosum acinacem: quibus beatum te & omnibus reddidit suscipiendum. Temulentus jam Mythridates: Quæ hæc sunt, inquit, Sparamixes? Nempè majora ego & præclariora, quo die conflictum est, sum meritus à rege. Cui arridens Sparamixes: Nihil equidem infit, invideo, Mythridate: verùm quoniam ajunt Græci, in vino veritatem esse, quid præclari sodes aut C magni est, equum delapsum invenisse stratum, atque hunc adduxisse? Id non quò rem ignoraret, jactavit: sed ut id præsentibus arbitris ille effutiret, loquacis & impotentis, quam vinum stimulabat levitatis. Igitur non temperavit, quin jaceret: Vos, ut libet, pileos jacite, & ejusce modi quisquilias. Ego diserte vobis affirmo, interfectum hac manu Cyrum. Neque enim ut Artaxerxes jaculum torsi irritum & vanum: sed paululùm aberravi ab oculo, fixoque & trajecto tempore illum prostravi: quo ex vulnere interiit. Hic cæteri exitum jam & funestam sortem cernentes Mythridatis, in terram oculos dejecere. At convivator: Heus tu, inquit, Mythridates, bibamus nunc & epulemur, regis fortunam adorantes. Verba sorte nostra majora valeant. Inde sermonem Parysatidi indicat eunuchus, illa regi. Rex ira flagravit, quasi revincteretur, pulcherrimumque & jucundissimum amitteret victoriæ decus. Volebat enim omnibus barbaris & Græcis persuasum, ut impressionibus & concursibus cùm inferret & acciperet plagam, hinc se vulneratum fuisse, hinc se Cyrum interfecisse. Itaque necari Mythridatem scaphis jussit. *Plut. in Artaxerxe.*

D Pharnabazus Artaxerxi regi Persarum persuasit, ut classem pararet, ducemque haberet Cononem Atheniensem, rei bellicæ peritissimum, qui è clade ad Ægeos Potamos accepta, in Cyprum ad Evagoram regem confugerat. Hujus prudentia victo ad Cherronesum Periarcho Lacedæmonio, Lacedæmonii à sociis destituti maris imperium amisere. Ejus gloriæ invidens Teribazus terrestrium copiarum in Asia dux, arrepto prætextu, quasi regis copiis urbes Atheniensibus compararet, hominem Sardis perductum comprehendit, & vinctum in custodia necavit. *Diod. lib.* 14.

Eumenes Cardianus proditus fuit Antigono regi ab Argyraspidum Præfectis, ob invidiam ejus gloriæ. *Plutarch. in Eumene.*

Euripides Tragicus periit insidiis Aridæi Macedonis, & Cratevæ Thessali, æmulorum Poetarum: quorum impulsu regis servus canes in eum immisit. Alii non à canibus, sed à mulieribus eum laceratum tradunt, noctu euntem ad Craterum Archelai delicias: ut qui id quoque genus amoribus indulgeret. Alii ad uxorem Nicodemi Aretusii. *Svidas.*

Q. Sertorius, dux clariss. magna fortitudine & prudentia E bellum contra Romanos in Hispania gesserat, & Mythridatis insuper fœdere formidabilior redditus, hostibus jam penè par erat. Ac senatores (sic enim Romanos exules vocabat) ejus gloriæ primùm invidere: Perpenna spiritibus vanis ob natalium splendorem elatus, conspirationem quoque contra eum moliri ausus est cum Ausidio, Antonio & Manlio uno ex Sertorianis ducibus. Et quidem metu illius auctoritatis non rebellabant apertè: verùm res ejus in secreto corrumpebant, Barbarosque acerbè puniendo, & tributa exigendo, quasi Sertorii jussu, affligebant. Hinc defectiones natæ per opes & seditiones. Qui verò ad hæc mittebantur lenienda & medenda, redibant pluribus inflammatis tumultibus, & rebellionibus prioribus incensis. Unde degenerans ex humanitate & lenitate Sertorius pristina, Hispanorum filios, qui Oscæ educabantur, violavit: ac partem illorum occidit, alios sub corona vendidit. Ubi insidiarum tempus decreverunt conjurati, hominem subornatum adduxerunt, qui epistolam redderet Sertorio. Epistola victoriam cujuspiam ejus legatorum & hostium magnam stragem significabat. Quare ovantem Sertorium, & læti nuncii causa F sacrificantem cum præsentibus amicis (hi in conjuratione erant) invitavit Perpenna ad cœnam, multisque precibus obtinuit, ut sibi condiceret. Cœnæ semper præsente Sertorio magna erant verecundia & honestate conditæ, quòd nihil vel videre, vel audire sustineret turpe: sed convivas pudicis & sobriis jocis oblectamentisque assuefecisset uti. Ibi in medio convivio exordium quærentes jurgii, propalam incesta verba jecerunt, fingentesque se vino mersos, quò irritarent illum, multa designaverunt insolenter. Ille verò, vel quòd licentia ista offenderetur, vel quòd mentem eorum loquendi tarditate & insolita dissolutione adverteret: figura mutata accubitus, supinum se collocavit, quasi non attenderet, neque exaudiret ea. Ut verò phialam Perpenna accepit meri plenam, eamque inter bibendum è manibus dimisit, unde editus est strepitus, quòd erat illis pro signo: Antonius, qui supra Sertorium recumbebat, ferit eum pugione. Ad ictum circumagente se illo, & parante exurgere, conjiciens se in pectus ejus, ambas occupat manus. Ita cum non valeret ulla ratione se defendere, multis eum cædentibus, est trucidatus. At Hispani plerique actutùm ab his defecere, G missisque legatis, in fidem se permisere Pompei & Metelli. Perpenna autem à Cn. Pompejo brevi obtritus, & captus, cùm haberet in potestate chartas Sertorii, pollicebatur Pompejo, literas ostensurum se virorum consularium & principum urbis Romæ manu exaratas, quibus Sertorium acciverant in Italiam, multos significantes esse, qui præsentem statum movere, & res novas averent moliri. Verùm Pompejus haud juvenilis mentis, sed solidæ & compositæ, fecit actum, quo urbem ingenti metu novationibusque liberavit. Nam epist. illas & codicillos Sertorii collectos omnes concremavit: eosque neque ipse legit, neque permisit alium. Perpennam verò properè interfecit: quòd timeret, si nomina eorum edidisset apud aliquos, seditiones & motus existerēt. Ex Perpennæ conjuratione alii ad Pompejum retracti & necati, pars in Africam fugerunt, qui à Mauris sunt jaculis confossi. Nemo evolavit præter rivalem Manlii Ausidium. Hic, vel quòd non cognosceretur, vel contemneretur, in vico quopiam barbarico inops invisusque consenuit. *Plut. in Sert.*

Tiberius Cæs. super veteres amicos ac familiares, vigin- H ti sibi è numero principum civitates depoposcerat, velut consiliatios in negotiis publicis. Horum omnium vix duos aut tres incolumes præstitit: cæteros, alium alia de causa perculit; inter quos cum plurimorum clade Elium Sejanum, quem ad summam potentiam non tam benevolentia provexerat, quàm ut esset, cujus ministerio ac fraudibus, liberos Germanici circumveniret, nepotemque suum ex Druso filium naturalem ad successionem imperii confirmaret. *Svet.*

Ptolemæum regis Jubæ filium, consobrinum suum, M. Antonii ex Helena filia nepotem, Caligula Imperator accersitum è regno, & exceptum honorificè, non alia de causa repentè percussit, quàm quòd edente se munus, ingressum spectacula, convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animadvertit. *Svet.*

Adrianus Imperator, si disciplinarum, in quibus ipse reverà multùm excellebat, quemquam invenisset scientiam habere talem, ut imminere periculum putaret, ne aliquando ab eo superaretur, invidia pressus eum occidebat. Favorinum

Gallum

A Gallum, ac Dionysium Milesium, sophistas tollere conatus fuit, eorumque sectatores perdidit Dion. Svidas. Nota est vox Favorini Philosophi, cujus verbum quum Adrianus reprehendisset, nec Favorinus contra niteretur quibus poterat rationibus, castigatus ab amicis, quòd parùm suæ consuluisset dignitati, qui tam facilè Cæsari cessisset: Cur, inquit ille, non cedam huic, qui triginta habet legiones? *Sab. lib.* 4. *Enn.* 7.

Theodosius Hispanus Theodosii Imperatoris pater, in Africa proconsul, dum strenuè commotam seditionem sedasset, commeruit Valentis Imperatoris invidiam: à quo jussus est occidi. *Cuspin.*

Quum felicitate prospera Ætius Mœsia oriundus, patricius Romanus, victo in campis Catalaunicis Attila, crescereret, ut virtus semper invidiæ obnoxia est, vel Maximini figmentis, vel jussu Valentiniani III. Imperatoris, qui illius successus metuebat, occisus est, in affectatæ tyrannidis suspicionem adductus, & cum eo pariter & Occidentis Imperii salus occubuit. *Cuspinian.*

Cùm Tamberlanes cum suis oberraret, latrociniis gau- B dens, accidit, ut familiares ejus de felice rerum successu dissererent, eòque tandem venirent, ut dicerent eum brevi etiam Semarchandæ regnum consequuturum. At Myrxies Tamberlanis intimus respondit: Regnum Semarchandæ firmius est, quàm ut occupari possit à latrone, & privato homine: Sin autem aliquando contigerit, ut Semarchandæ regno potiatur, volo, ut confestim tanquam mendax obtruncer. Non multò pòst cùm Semarchandam urbem Temires esset adeptus, honores majores quàm Mirxies Chaidares alter prædationis socius ob fortitudinem apud Regem invenit. Hinc commotus Chaidares, dixisse fertur: Tempus jam esse, ut sermo ille, quem loquutus fuerat Myrxies, ad rem conferatur. Extare enim ejus sermonis testes plurimos. Ergo Myrxien capitali supplicio subdi jussit Temires, in memoriam redigens se nactum esse Semarchandæ regnum, ipsumque falsum esse animo, proinde mortis reum teneri. *Calchondylas lib.* 4.

Matthæum II. Vicecomitem, Stephani filium, ex diuturna febricula mortuum, Valentina mater à Fratribus veneno sublatum usque adeò constanter asseveravit, ut Galeacio & C Barnabæ diras imprecaretur. Matthæum enim ex sermone quodam invidiæ pleno apud fratres exitiale odium parasse referebat, quòd Crescentiaco in vico, ubi Matthæus Magnus avus objit, quum fortè in cœna Galeacius & Barnabas tanti imperii è majoribus conditi amplitudinem atque opulentiam laudarent, omniumque pulcherrimum fortunæ munus principatum esse faterentur, Matthæus incautè subjunxisset: Id quidem sine controversia verum esse, incomparabileque videri, modò principatus socio consorteque careret: adeò ut non obscurè Joannem patruum perstrinxisse videretur, qui secùs ac magnus avus fecisset, non unum Galeacii primi atque Actii exemplo, sed tres simul iniquo jure divisi imperii hæredes scripsisset. Id dictum subamaro sale scommatisque nomine prolatum, usque adeò in pectus fratrum altè descendit, ut sequenti cœna suillos lumbos, cujus obsonii Matthæus erat appetentissimus, toxico illitos apposuerint. *Iovius in vita Matthæi.*

Aloysius Grittus, Andreæ Venetorum principis nothus Byzantii natus, & inter Turcas educatus, anno 1534. à Solymanno Turcarum Imp. è Byzantio cum amplissimis manda- D tus ad Joannem Sepusium Regem, in Pannoniam contendens, ducebat secum præsidii causa aliquot Turcarum equitum alas, atque item eximiam peditum manum, in qua erant plerique Janizari, ex numero prætorianorum, & ante alios Hungari duo duces cum singulis turmis, Urbanus Barianus, & Janus Docia. Hi jampridem à regis Joannis amicitia discesserant, sequebanturque Grittum Solymanni favore subnixum. Erat Docia præfecto Transylvaniæ admodùm infensus, quòd sibi in quadam altercatione vociferanti genam pugno contudisset. Is erat Americus Cibachus, Episc. Varadinensis, cui Joannes secundùm regiam dignitatem primum honorem detulerat. Confederat ad oppidum Braxavium Grittus, quum pluribus nunciis affertur, Americum adventare, castra metatumque inde decem millibus passuum apparare sese, ut cum ornatissimo comitatu in colloquium deveniret. Ea res Gritto ingenium vehementer commovit, quasi apertis in campis, veluti cum hoste, spectantibus copiis, esset colloquendum. E convivio discedens, & his non obscurè minatus, qui imperiis suis minimè parassent, tegumentum capiti detraxit, quod erat Turcarum more oblongum, ex pretiosis Scythicarum zibellinarum pellibus, manibusque di- E latans: Hoc, inquit, duo capita non capit: necesse ergo est, ut uni tantùm coaptetur: idque rursus capiti imposuit. Eum sermonem Janus Docia excipiens: Neque hæc provincia, inquit, duos ex æquo præfectos capere potest. Ergo Grittus separatim Urbano Bariano validissimam Turcarum alam, & imprimis Hungarorum turmas tradidit. Is noctu ad castra Americi advolat: Docia superveniens jacenti caput detruncat. Ubi de Americi cæde fama percrebuit, propinqui provincialesque fermè omnes adversus Grittum conjurant, duce Stephano Mailato. Ergo in oppido Meges Grittus obsessus, ad condictam horam ab ea porta quæ ad Moldavos ducebat erupit, dextra Solymanni diplomata prætendens. Sed Barbarorum fraude nequaquam inventis Moldavis, comprehensus, cæsis suis omnibus gladio percussus est. In ejus cruore proceres & propinqui penulas militares, solenni cæremonia, more gentis, intinxerunt, ut diu secum exactæ vindictæ memoriam deferrent. Sed Janus Docia majore ita & graviori supplicio affectus discerptusque est. *Iovius lib.* 32. *Historiarum.*

F

AMBITIO SECUNDUM ΑΗΨΙΝ
Considerata respectu ΑΞΙΑΣ, sive ejus boni, propter quod honor expetitur. Honorem immodicè appetere, acceptare, ex Rebus
PRIMARIO CONSIDERATIS: QUATENUS
scilicet Referuntur, vel ad hominis Animum. Gloriam captare ex

Eruditione. Doctrina vera simulatave.

☞ *Consule Tit. Furta literaria, quatenus aliorum labores sibi vindicantes gloriam aucupantur. Item Tit. Hereticorum, Theologorum, Poetarum, Grammaticorum, Medicorum imperitorum. Item Ambitiosi Rhetores, Poetæ, Philosophi. Item. Certamina Musicorum, Grammaticorum, &c. quatenus indoctiores ambitione, inflati cum doctioribus certant.*

Anacharsis Scytha Delphos profectus Deum consuluit, Quisnam sapientissimus esset? sperans Deum se hac laude ornaturum. At Pythia, Socratem respondit. *Paus. in Articis.*

Dionysius junior philosophos multos coegit, qui habe- G bantur eruditi. Cupiens verò disputando omnes superare, necesse habebat ea, quæ obiter ex Platone acceperat, perperam usurpare. Quare cœpit illum denuò requirere, pœnituitque eum, quòd non fuisset præsente usus, neque doctrinam percepisset honestarum disciplinarum absolutam. Itaque tyrannus semper cupiditatibus stolidus, atque in omnem præceps animi motum, repentè ardēti desiderio captus est Platonis, omnemque machinam movens, Architam Pythagoreum induxit, ut promissorum suorum sponsor esset apud Platonem, eumque denuò acciret. *Plutarch. in Dione.*

Aul. Posthumus familia nobilis, sed garrulus & loquax, & insigni nequitia, Græcam institutionem & linguam à puero expetivit, in eaque re multus fuit, ac potiùs immodicus: ut jam propter illum, etiam natu majoribus, & summa præditis auctoritate Romanis, Græcitas invisa esset. Denique poema scripsit, & historiam rerum instituit, cujus in procœmio veniam petit à lectoribus, si Romanus homo Græcam dictionem non assequatur, nec dispositionem convenientem observet. Quod est magnarum ineptiarum argumentum: perinde H ac pugil aut quinquercio, nomine suo in gymnicis ludis dato, in stadium progressus, cùm pugnandum esset, veniam à spectatoribus peteret, si labores & plagas ferre non posset. Perspicuum enim est, talem hominem ridiculum fore, statimque daturum pœnas. Quod ipsum cavere decebat etiam historiographos, ne quid contra decorum auderent. Fuit & voluptatis & laboris amans. *Svidas.*

De Paulo, *Martialis Epigram. lib.* 2. sic scribit:

Carmina Paulus emit, recitat sua carmina Paulus,
Nam quod emas, possis dicere jure tuum.

Clavisius Sabinus servis literatis doctos exagitans, gloriam captare solebat. Itaque magnis pretiis servos comparavit: quorum alter hunc, alter illum Poetam familiariter memoriter nosset, ut iis veluti nomenclatoribus contra doctos disputans uteretur. *Seneca lib.* 13. *Epist.* 27.

Ausonius Ad Philomusum, qui arbitrabatur se doctum librorum copia:

Emptis quod libris tibi bibliotheca refertæ est,
Doctum & grammaticum te, Philomuse, putas.

Hoc